



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Tituli Libri Primi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)



# CONSTITVTIONVM ET DECRETORVM

Synodaliū Prouinciæ Mediolanensis.

## Liber Primus.

### De Professione fidei, & eius tuendæ cura.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Pastorum cura quibus in rebus potissimum versetur.
- 2 Fidei professionem beneficiati, quiq. Synodo interesse debent, emittat.
- 3 Qui illam non emiserint in proxima sequenti Synodo, emittant.
- 4 Illi in certum librum à Cancellario Episcopali referendi.
- 5 Constitutio Pij IIII. de professione Fidei faciēda ab Episcopo publicanda.
- 6 Ludimagistri.  
Pedagogi.  
Artes alias liberales docentes eandem fidem profiteantur; & infra, quod tempus.  
Hiq; etiam in librum referendi.
- 7 Fidei professionem impediētes, puniēdi.
- 8 Parochorum cura in ijs, qui in sua Parochia docent, inquirendis.
- 9 Parochi non patiantur id munus à quoquam suscipi, exercere qui eandem Fidei professionem non emiserint.
- 10 Arithmeticam.  
Musicamq; & liberales alias artes profitentes.
- 11 Concionatores, etiam regulares.
- 12 Confessarij.
- 13 Medici.  
Chyrurgi.
- 14 Aduocati, & Procuratores causarum Sanctæ Inquisitionis.
- 15 Canonici, dignitatemq; in Cathedrali Ecclesia obtinentes, ac Parochi, si in tempore non emiserint, quid amittant.

Idē profiteantur.

- 16 Bibliopole & idem prestent.  
Impressores  
Qui alij fidem ipsam profiteri teneantur. De Constitutionibus numero 21.  
17 Formula professionis fidei.

Primum de  
prof. fid. &c.  
§. cod.



RIMA, & maxima pastorum cura versari debet in ijs, quæ ad fidem Catholicam, quam Sancta Romana Ecclesia colit, & docet, & sine qua impossibile est placere Deo, integrè, inuiolatè, & conseruandam pertinent. Ideò nos hinc potissimum exordium esse duximus, vt quæ ex eodem spiritu est fides, eandem vna oris con-

fessione profiteamur.

Ibid. §. Sacri  
Sess. 25. c. 2.  
de Re.  
Sess. 24. c. 12.  
de Ref.

2 Sacri igitur Tridentini Concilij autoritate innixi, mandamus, vt omnes ij, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, vel in posterum obtinebunt: & qui in Synodum Diocesanam conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia, & singula à Sancto Concilio Tridentino definita, & statuta, palàm recipiant: veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant: simulq; hereses omnes publicè detestentur, & anathematizent: fidem profitentes eisdem verbis, quibus ex formula à Sanctissimo Domino Nostro Pio IIII Pont. Max. præscripta, Nos, & Coepiscopi nostri, initio huius sanctæ Synodi, iurati præstitimus, & professi sumus: etiam si antea in Diocesana Synodo id officium, ad exequendum iussa Tridentini Concilij, quacumq; ratione, & modo obierint.

Tertiū quæ  
ad fidei tuæ.  
stud. pert. §.  
cod.

3 Quos oportet, Sacri Tridentini, Prouincialisq; nostri Concilij primi iussu in Diocesana Synodo, Canones & Decreta Tridentina recipere, fideiq; professionem præstare; nisi illos id præstitisse Episcopus perspexerit, in ea, quæ proximè futura est, Synodo, ab illis præstari iubeat.

Ibid. §. cod.

4 In aliquem verò certum librum, qui in Episcopali Archiuo asseruetur, eos omnes, ac singulos Cancellarius Episcopalis, ordine referat, tum qui antea præstiterunt, tum qui in posterum præstabant in singulis Synodis deinceps sequentibus.

Primū Ibid.  
Bulla Pij  
III. edi. an.  
1564. Idib.  
Nouemb.

5 Episcopi omnes Prouinciæ nostræ Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Pij IIII Pontificis Maximi de professione fidei facienda ab ijs, qui de beneficijs Curatis, & Canonicatibus promissi sint, & à docentibus litteras, & à promouendis ad Doctorales, vel alios gradus, publicent in suis Ciuitatibus, & Diocesibus intrà mensem; & ab omnibus inuiolatè seruandam curent: præsertim uerò ab ijs, qui cuiuscun-

cuiuscunque status, conditionis, & dignitatis sint, quouis modo, vel nomine, publicè, aut priuatim, domi suæ, vel alienæ, etiam si pædagogici sint, pueros, adolescentes, aliosuè cuiuscunque sexus, & ætatis, quacunque artes litterarias, vel alias liberales, etiam si ipsa prima Grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, vel alia quavis ratione, etiam si gratis doceant: quorum etiam omnium mores, ante quàm ad docendum accedant, probare debebunt; alioquin de ijs pœnas, in eadem Constitutione proposita sumant.

6 Quicumque litteras, & liberales artes quouis nomine, vel publicè, vel priuatim docent, ij, quales quales sint, & reliqui præterea, quibus Pij IIII. Pontificis Maximi Constitutione, vel eiusdem provincialis Consilij Decreto fidei professionem facere iustum est, trium mentium spacio illud a formula ab eodem Pontifice præscriptam, aut iam præstitisse ostendant, aut re ipsa præstent. Qui verò in posterum illud legendi, interpretandi, docendique munus suscepturi sunt, fidei professionem ad idem præscriptum ante præstent quam id suscipiant, exercentur. Hique, & illi omnes libro notentur.

3. Quæ ad fidei tue. stud. pert. §. Quicumque. Sess. 25. ca. 2. de refor.

7 Qui verò, ne prædicti huic Decreto obtemperent, impedierint, aut huius tenuitatis quacunque ratione illis auctores aut adiutores fuerint, seuerè puniantur.

1. de prof. fidei ver. Qui vero.

8 Ut autem id facilius, ac melius effici possit, studiosè inquirent parochi, quinam in suis parochijs eo docendi, munere fungantur, & eorum nomina ad Episcopum ad mensẽ a die publicationis Constitutionis eiusdem numerandum deferant. Quos verò deinceps eiusmodi cognouerint, primo quoque tempore Episcopo indicent.

Ibid. uer. vt autem.

9 Parochus nè ullo modo patiat in suæ parochiæ finibus id, vt supra, munus à quoquam deinceps suscipi, aut iam nunc susceptum exerceri, si is scripta Episcopi, testimonio non ostenderit, se fidei professionem præstitisse: immò verò, si ita testatum non fecerit; ei illo munere interdicit: si non paruerit, ad Episcopum deferat, qui in eum, prout iuris est, animaduertat.

3. Quæ ad futuen. & c. §. parochus.

Quibus autem id ludimagistri munus committatur: Quæ de eius vita informationes sumendæ antequam docere incipiant: quæq; obseruanda sint postquam docere inceperint; & quos ij adhibere debeant libros, uideatur supra de ludimagistris.

10 Quod ex Pij IIII. Pont. Max. sanctione in primo, & tertio Concilio provinciali nostro, de ijs, qui fidei professionem facere debent, deque illorum ipsorum vita, & moribus, ante inquirendis, & probandis decretum est; id Episcopus omnino efficiat, ut præstetur: tum committat præterea ad idem omnes ac singulos, sicut etiam à Sancta sede

4. de fidei prof. §. Quod.

Apostolica declaratum est, quicumque Arithmetica, & Musica, & vel artes cuiusvis generis liberales profitentur.

5. Quæ ad fi.  
tuen. stud. pt.  
§. Quoniam

11 Quoniam in ijs, quæ & ad fidem, & ad pietatem tuendam attinet, omni vigilantissima cura, summaque diligentia pastoribus maxime elaborandum est; nos veterem Sanctorum patrum, Sacrorumque Conciliorum consuetudinem, & auctoritatem in primis Oecumenicæ Synodi Tridentinæ secuti, de ijs ipsis multa superioribus nostris Concilijs Prouincialibus constituimus. Sed in eo genere, cum nullum tantum studium, quantum certè maxime requiritur, adhiberi possit, illis superiorum Conciliorum Decretis, adiungenda hæc etiam censuimus.

Nemini etiam regulari, ne in sui quidem ordinis Ecclesia concionari permittat Episcopus, antequam sibi, suoque Vicario, ille, quicumque concionaturus est, fidei professionem ad sanctionis Pontificiæ, quam Pius III. edidit, præscriptam formam præstiterit. Vbi vero semel præstiterit, non opus erit iterum ob eam causam eidem Episcopo præstare: Sed satis sit, professionis, ei semel illo nomine præstite, testimonium scriptum, atque obsignatum afferre, & exhibere.

12 Id omne de confessarijs Sacerdotibus sancimus, & decernimus.

13 Hoc ipsum de Medicis, & Chyrurgis item cautum sit, qui nisi trium mensium spatio apud Episcopum, aut eius Vicarium, ex illius Pontificiæ formulæ præscripta ratione fidem profiteantur, medendi arte ab eodè Episcopo interdiciantur, quod eam professionem præstiterint.

At verò in posterum quisquam Medicus, uel Physicus, vel Chyrurgus medicinam exercere ne aggrediatur, nisi præstita primum ut supra fidei professione.

14 Aduocati præterea, & procuratores, in causis Sanctæ Inquisitionis suscipiendis, agendisve, nullum ante aditum, locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint.

15 Qui Ecclesiam parochialem, aliudve beneficium curam animarum habens, aut canonicatum, aut dignitatem in Ecclesia Cathedrali quouis modo obtinuit, nisi is tempore, & loco sanctione Tridentina præstito, fidei professionem præstiterit, nec ei Episcopus beneficij Ecclesiastici fructus, quos ex eod. Trident. Decreto, suos non fecit, aliquo pacto remittat, neque ab eodem exigi patiaur, sed si quos exegerit, illum restituere cogat.

Sess. 24. c. 12.  
de ref.

6. Quæ ad fi.  
dei tuen. pt.  
§. eo.

Bibliopole, quique impressoria faciunt, ne quam aggredi uolunt artem prius exerceant, quam iurati, fidei professionem Episcopo, conceptis formulæ statutæ Pontificiæ verbis, præstiterint.

4. de fi. prof.  
§. eo.

17 Formula verò, ad cuius præscriptum fidei professionem præstari oportet, pontificia illa sanctione conceptis uerbis tradita hæc sanè est.

Ego N. firma fide credo, & profiteor, omnia, & singula, quæ  
conti-

continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terra, visibilibus omnium, & invisibilibus; Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum; Et ex patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo verò; Genitum, non factum, consubstantialem patri, per quẽ omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; Et resurrexit tertia die secundum scripturas; Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris; Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit; Qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas: Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquiasque eiusdem Ecclesie obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item Sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta noue legis à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesie Catholice ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propriatiorum sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctissimo

Conc. Trid. Sess. 3. dec. de Symb. fidei.

Conc. Trid. multis in locis.

Sess. 4. Decr. de Canonis scripturis Dec. de edit. & vsu Sac. lib. Sess. 7. de Sacramentis.

Sess. 22. ca. 5. & Can. 11.

Sess. 5. decr. de pecc. orig.

Sess. 22. c. 2. & Can. 1.

Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiatione appellat.

Sess. 13. c. 3.  
& Sess. 21. c. 3.  
& Can. 3.  
Conc. Trid.  
Sess. 22. ca. 2.  
& Can. 3.  
Sess. 22. de-  
cret. de purg.

Fateor etiam sub altera tantum specie; totum atque integrum Christum, verumque sacramentum in sumi.

Ead. sess. 25.  
c. de inuoca-  
tio. ven. &  
reliq.

Constanter teneo purgatorum esse, animaque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari, similiter, & sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Ead. sess. De-  
cret. de In-  
dulgentiis.  
Sess. 22. ca. 8.  
Sess. 25. De de-  
lectu ciborum.  
Sess. 25. ca. 2.  
de refor.  
Ead. sess. de re-  
cep. & obser.

Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse: atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, in presenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integrè, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ Spiritum, constantissimè, Deo iuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem. N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.

Cætera, quæ huic titulo desunt, ex ordine Conciliorum Prouincialium, videantur in titulis: De Hereticis. De officio Sanctæ Inquisitionis. De Iudæis. De Cingaribus. De editione, & usu Sacrorum librorum. De ludimagistris, quos titulos, & multos alios partiri visum fuit, ut facilius Conciliares materiæ reperirentur.

De Hæreticis, Hæresive nomine suspectis.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochorum cura in hæreticis inquirendis.
- 2 Inquirendoque de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.
- 3 Edicti contra hæreticos promulgatio quotannis.
- 4 Principum studium in tollenda hæreticorum consuetudine.
- 5 In hæreticorum locis catholici non instituendi.
- 6 Nisi vigesimum quintum annum agant.
- 7 Ad hæreticorum loca accedat nullus absque licentia.
- 8 Licentia ipsa ab Episcopo, vel Inquisitore concedenda, & quomodo.
- 9 Hæreticorum propè fines habitantibus possit parochus talem facultatem impartiri, & qualiter.
- 10 In hæreticorum loca migrandi gratia, ibique domicilium constituendi nemo bona sua alienare possit.
- 11 Contra suspectum huius rei, ut procedatur.
- 12 Principes non permittant milites hæreticos ad suas ditiones venire.
- 13 Episcopi officium, ubi illi diuerterint.
- 14 Hæretici si cibos vitatos subministrans diebus prohibitis, excommunicatus.
- 15 Hæresis labe infecti proficiscentes ex finibus hæreticorum, eorum nomine suspectorum, an, & quomodo recipiendi. 16.
- 17 Recipiens Episcopo, vel Inquisitori, aut parochos, si in diocesim venerint, denunciaret.
- 18 Ab ecclesiasticis non excipiendi.
- 19 Neque admittendi in Ecclesia, tempore concionis excepto.
- 20 Episcopi quale studium in hæresi profliganda.



**P**ARROCHI diligenter animaduertant an in suis parochijs vllus sit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus; cumq; ad Episcopum, vel Inquisitorem deferant. Moneant prætereà populum debere omnes, si quos nauerint aliquid fecisse, vel dixisse, quã obrem de huiusmodi peccato in probabilem suspicionem venerint, statim deferre.

Primum de prof. fid. &c. s.c.

2 Obseruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, uel hæresis nomine suspectorum veniunt singulorumque dicta, & facta odorentur: ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant. Et si qua de ijs



suspicio fuerit, Episcopum, vel Inquisitorem admoncant.

2. Quæ ad fi.  
tuē. &c. pa-  
rag. eo.

3 Episcopus edicto quotannis publicè proposito, omnes, & singulos suæ Diocesis homines, etiam quavis dignitate, gradu, honoreve præditos, moneat, eisdemq; in virtute sanctæ obedientiæ, ac pœna ex communicationis late sententiæ proposita, id iubeat, ut si eorum quispiam iam scit cuiusvis sectæ hereticos homines, eove nomine suspectos, aut infames, aut quouis modo à fide catholica aberrantes; aut qui verba hereticalia protulerint, aut qui hereticorum libros, scriptave, quæ quouis modo auctoritate sedis Apostolicæ prohibita sunt, legunt, vel apud se habent, decem ad summam diebus post edicti promulgationem; Si uerò in posterum sciet, decem diebus postquam id norit, illos omnes, & singulos, vel ipsi Episcopo, uel hereticæ prauitatis Inquisitori denunciet.

Parochis autem suis iubeat, ut edictum eiusmodi in singulos annos semel Quadragesimæ initio, iterum ineunte Domini Auentu, publicè in sua quisque parochia, cum in Missa frequentior populus adesset, de scripto ipsi pronuncient, & promulgent.

Primum de  
prof. fid. &c.  
parag. eo.

4 Principes uerò, & Ciuitatum Magistratus hortamur, ac per uisera misericordiæ Christi Domini obtestamur, ut cœlesti lucrū terrenis commodis præferentes, commercium, & consuetudinem hereticorum, quàm fidelibus perniciosam, ac pestiferam esse constat, pro sua pietate, ac studio religionis è suis urbibus, atque oppidis amouendam, ac tollendam curent.

5 Prohibeantq; nè suæ ditionis homines, percipiendæ etiam linguæ causa, aut mercaturæ, aliove nomine, in hereticorum locis instituantur, aut commorentur. Quod sequitur, uide infra de Inquisitoris Officio, numero 15. & 16.

6. Quæ ad fi.  
tuē. pt. pa-  
rag. eo.

6 Nemini ad hereticorum fines, locave, nè discendæ etiam mercaturæ causa, mittere filios liceat, qui annum saltem uigesimaliquantum non agant.

3. Quæ ad fi.  
tuen. stud. pt.  
parag. eo.

7 Profecturus aliquis ad ea loca, ubi etsi catholico etiam more à multis uiuitur, impunè tamen, & publicè ab alijs prædicatur, aut creditur, quod à Romane Ecclesiæ doctrina, & fide alienum est, profectio- nis scriptam facultatem ab suo parochio, vel ab eo, quem Episcopus constituerit, antè inpetret, quàm abeat. Quibus facultatis litteris caueatur, ut & reuertionis tempore, etsi diutius illis in locis fuerit, singulis annis testatum faciat, se catholico more, & uixisse, & uiuere, utque id testimonium scriptum sit ab illius loci, ubi fuerit, Episcopo, aut parochio, si ibi parochus est, aut à catholicis uiris, probatis hominibus, illorum locorum incolis. Hocque is, cui eò proficisci concessum erit, præstet omninò.

8 Ne cuiquam item, ut alio Concilio cautum est, ad hæreticorum loca proficisci liceat; nisi primùm ab Episcopo, aut Inquisitore eius rei facultatem impetrarit. Atque hæc quidem facultas ne cuiquam permittatur, deturve, nisi à parochio testimonium scriptum attulerit, se more catholico vixisse, sancta que sacramenta frequentasse: hac præterea adiecta conditione, ut si cui facultas permittitur diutius illic commorandi, is quotannis semel saltem inde redeat, ut, & confiteatur, & sanctissimam Eucharistiam sumat: aut testimonij litteras mittat, quibus legitime testatum fiat, se confessum, constituto tempore sacram Eucharistiam sumpsisse, catholicæque fidei congruenter vixisse.

9 Qui verò propè hæreticorum loca habitant, ijs à parochio eam facultatem dari licebit ad breue sanè tempus: ita tamen, ut cum is exiguum illud brevis morè spatium certum proficiscenti præscribat, tum illam præterea conditionem, ne die festo illic opus faciat; nec uerò mercaturam ullo modo exerceat, aliave agat, quæ sacro festo die agi, fieri, exerceri prohibuit. Immo festo eo saltem die, domum omninò redeat, & Missæ, Vesperis, Doctrinæque Christianæ scholis intersit.

10 Nec uerò cuiquam fas sit, patrimonium, bonaque sua uendere, alienareve, ut in hæreticorum loca migret, ibique domicilium constituat.

11 Si quis in huius rei suspensionem uenerit, contrè eum agatur ad Canonum, Pontificiarumque sanctionum præscriptum.

12 Huius Prouinciæ, Principes, & Magistratus, pro fidei Catholicæ tuendæ officio, proque pietatis suæ studio sperandum est, id numquam permitturos esse, ut in has regiones, eorum ditioni subiectas, nè ad diuersandù quidè itineris gratia, milites, à Catholicæ Romanæ Ecclesie fide dissidentes, veniant, cum certum, atque planè exploratum sit, nulla alia re Deum grauius offendi nullaque ad uehementiorem iram, quam hæresum labe prouocari; nihilque rursus ad Prouinciarum, Regnorumque interitum maiores vires habere, quam teterrimam illam pestem. Verùm, si quando acciderit, quòd Deus prohibeat, in eam curam toto animo, omni que studij pastoralis contentione Episcopus incumbat, atque ad eò elaboret omni ope, ut nè eius morbi contagione, Christi sanguine redemptæ, suæque fidei committæ ullo modo inficiantur.

13 Itaque ad Diocesis suæ loca, ubi pestiferos illos homines diuersari contigerit, se in primis ipse conferat; populum fidelem, etiam atque etiam diligenter moneat, ut ne eorum mores usquam attendat; nè verbis mentem, auresve adhibeat; nè cum eisdem ullo modo versetur; nè carnis licentiam, & liberam, & falsam viuendi securitatem exemplo illorum consecetur; sed in orthodoxa fide, & charitate Christi Domini cum

6. Quæ ad finem. pt. parag. co.

5. Quæ ad finem. stu. pert. parag. co.

ni cum timore, & tremore perfetterans, in Sanctæ Romanæ Catholice Ecclesiæ vnitæ, & obedientiæ studio, in catholice quæ pietatis officijs sese contineat.

Parochis verò leges præterea præscribat, quas in tanto discrimine omninò sequantur.

Atque in ijs quidem hæ sint.

1. Ne eos mortuos sacris locis in sepulturam tradant.

2. Ut animadvertant præterea, si fieri potest, non modo singulis horis, sed singulis etiam momentis, quid ab illis agatur, quid cogitetur, quid stituatur in ijs, quæ ad fidem pertinent, longè prospiciant Sathanæ insidijs, & conatum omnem, quantum in se est, sedulo reprimant.

3. Ut uideant, nè quicquam uel minimum, unde labes aliqua exillere possit, sensim latius dimanet. Quamobrem de quotidiano huius rei statu Episcopum certiore faciant quàm diligentissimè.

4. Nec verò ea omni diligentia contentus Episcopus, desistat alia subsidia ad tuendum gregem comparare. Proinde cum alios religiosos, prudentes quæ viros, ad rem omnem inquirendam mittat, tum acres etiam, pios quæ Concionatores ad causam communem adiuuandam.

5. A Magistratibus etiam, & Principibus, in re, quæ non religioni solum, sed vniuerso Prouinciæ Statui periculum certissimum asferre potest, omnem opem, atque auxilium imploret, ut expedire censerit.

14. Excommunicationis verò pœnam, præter alias, quæ summorum Pontificum, Canonumve sanctionibus expressè sunt, ipso facto subeundam proponat, atque edicat ijs, qui itiusmodi impijs hominibus cibos vitos vendiderint, aliove modo subministrauerint, quibus diebus minimè liceat illis vesci. Agat verò contra illos, qui non paruerint, ad iuris, edicti quæ promulgati præscriptum. Omnem denique aliam rationem, quæ potissima sibi videbitur, opportunè ineat ad eam pestem propulsandam. Et verò id, quod caput est, in tanto salutis periculo, assiduis precibus, omni quæ supplicatione ad Deum confugiat, ut gregem sibi in curam traditum, ab omni hæresum seditate integrè inuiolatum quæ custodiat, & conseruet perpetuò.

6. Quæ ad finem, pt. 5. eo. 15. De commercio hæreticorum, quàm diligentissimè cauendo, nos pro nostri officij munere, superioribus Concilijs Decreta aliqua confecimus, atque edidimus: quibus etiam ex Sanctissimi D. N. Gregorij Papæ XII. iussione, & præscripto, hæc quò diligentior porro cautio in eo genere adhibeatur, adiungenda censuimus.

16. Optandum est, omni quæ pastorali studio, atque officio id valdè curandum, ut quem hæresis labe infectum esse constet, nemini umquam quicquid sit, impunè permittantur ex hæreticorum, eove nomine suspectorum finibus, ac regionibus finitimis, ad Prouinciæ huius loca venire:

Venire: Verùm si quandoque aliter accidit, ubi ei rei alia ratione occurrere non possit, hæc saltem caueantur, atque planè seruentur.

Ne cuiquam, quem ex ijs locis proficiscentem hæreticum esse certum sit, hospitium, dinerforiumve præberi liceat, præterquam in caupona publica, uel in domicilio sui procuratoris, si quem fortasse ipse habet.

17 Is uerò, qui præbuerit, illius aduentum, habitationemque Episcopo, Inquisitorive, aut parochi, si in Diœcesim uenerit, confestim denunciet.

18 At Ecclesiasticus homo, quicūque sit, ne eum ullo modo excipiat.

19 Neque rursus, illum in Ecclesiam ingredi permissum sit, nisi sacre concionis tempore.

20 Quam summum in hæresis crimine profligando studium, & cura, quam longè omnium diligentissima, Episcopi esse debeat, cum aliorum multorum Pontificum sanctiones iubent, tum uerò & Innocentij Tertij rescriptum, & Martini Quinti Constitutio, iam pridem edita, ostendunt. Quibus Constitutionibus tum in uirtute obedientiæ districte præcipitur, ut quæ eo de genere in illis sancita sunt, ad ea efficaciter exequenda Episcopi per Diœceses suas diligenter inuigilent, si canonicam uelint effugere uisionem: tum etiam deponi iubetur ab Episcopali officio, si quis eorum super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, uel remissus. Proinde in ea perenni sollicitudine, perpetuaque uigilia Episcopus uersari in primis debet, ut non modo pestilentissimus ille hæresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat; sed omnis planè suspicio ab eo quam longissimè absit. Si uerò fortasse, quod pro sua pietate, & misericordia Christus Dominus auertat, irreplerit, in eo maxime elaboret, omni ope, ut quam celerrimè depellatur: quique ea labe infecti erunt, uel suspecti, cum illis agatur, ad Canonum, sanctionumque Pontificiarum præscriptum.

5. Quæ ad fi.  
tuè. ita. pert.  
5. co.

### De Sanctæ Inquisitionis Officio.

#### S Y M M A R I V M.

- 1 Sanctæ Inquisitionis Officij congregatio instituenda.
- 2 Quando conuocanda.
- 3 In ea, quid agendum.
- 4 Ministris secretum indicendum.
- 5 Formula iuramenti eisdem præstandi.
- 6 Excommunicatio in reuelantes Congregationis secreta. Eius Congregationis

Constitutionum, & Decretorum Synodaliū

gregationis initio, oratio de Spiritu sancto recitanda, & quæ.  
De foro Episcop. num. 2.

- 7 Notarij huius officij, vt iurent.
- 8 Excommunicationem late sententiæ reuelantes incurrunt.
- 9 Carceris custodes, quod iuramentum præstent.
- 10 Causarum acta non imprimenda.
- 11 Aduocati, & Procuratores, fidei professionem faciant.
- 12 In causis Sanctæ Inquisitionis, quales esse debeant.  
Facultas illis scripto est concedenda.
- 13 Quo iuramento adstringantur; queq; illorum partes.
- 14 Quibus non patrocinentur.
- 15 Sanctæ Inquisitionis Officio Principes faueant.
- 16 Nihilq; in illo sibi vsurpent.
- 17 Inquisitionis Officium, res, & ministros legens, vt puniendus.
- 18 Constitutio Pij V. aliquando promulganda.  
Constitutionis eiusdem tenor. De Constitut. num. 22.

Quintū, quæ  
ad h. tu. e. tu.  
pert. §. Idem.

1 **I**DEM (Episcopus) prætereà vnà cum Inquisi-  
tore Congregationem, quæ certo numero con-  
stet, Theologorum, & Iuris peritorum hominū  
instituat, qui ad causarum Sanctæ Inquisitionis  
consultationem adhibeantur.

2 Ea porò Congregatio, vt opus erit, conuocetur,  
semelq; in singulos menses, atque aded cre-  
brius, cum occasio tulerit.

3 Nec verò quicquam aliud in ea agatur, geraturve, nisi quod ad  
eiusdem Sanctæ Inquisitionis officium pertinet.

4 Et quoniam sepè contingit, causarum Inquisitionis acta, proces-  
susve, de quibus deliberandum est, ijs patefieri, explicari, atque commu-  
nicari oportere, quorum consilio, uel damnationis, uel absolutionis sen-  
tentia ferenda est: quò & accusatorum, denunciantium, testiumq; que  
periculis effeaciùs occurratur; & in ijs ipsis Inquisitionis actis, cau-  
sisq; cautius agatur: id proptereà omnibus singulisq; consultoribus,  
& ceteris item, qui in ea Congregatione adscribentur, admittenturve,  
Episcopus, vt Bonifacij VII. Constitutionem cautum est, secretum,  
reticentiamq; indicat.

ca. statuta. §.  
subemus, de  
heret. in 6.

5 Atque ij ipsi porò statim certa præscripta formula iurati eidem  
Episcopo sanctè spondeant, se, neque verbis, neque litteris, nec nutu,  
neque alia cuiuscumque generis significatione, ullove modo cuiquam  
patefacturos, aut euulgaturos esse Congregationis, in quam admittun-  
tur, adscribunturve, arcana; nec uerò alia quæcumque sint, quæ illis  
Inquisi-

Inquisitionis, vel causis, uel hominibus, uel ipsi Cōgregationi, officiove præiudicium afferre aliquo modo possint.

6 Pœnâ uerò excommunicationis latę sententię proponat, atq; edicat, etiam in Congregatione ipsa, ex ea Bonifacij C onstitutione in omnes, & singulos, qui contra indictum secretum, aut iusurandum quicquam patefecerint sine licentia eiusdem Episcopi.

7 At præterea Notarij Sancti Officij hoc iurent, quòd nec causarum acta, nec testium nomina, neque testificationes, aliudve quicquam eius generis patefaciant, aut euulgabunt, anteaquam iudex patefecerit, euulgariue, aut euulgari iusserit. De sententijs itidem eorum, qui consultores adhibentur, consultationibus, deliberationibus, actionibusque Congregationis huius, id ipsum præstabit omninò; ac de suo officio in omnibus fideliter exercendo.

8 Si quis eorum quicquam contra vllò pacto fecerit, excommunicationem latę sententię ipse subeat; ac præterea alijs pœnis, pro modo culpę, arbitrio Episcopi, plectatur.

9 Custodes etiam carceris, priusquam suum exerceant officium, iusiurandum, ad præscriptam formam in Concilio Viennensi præstent: Idemq; etiam alij ministri ad id officium exequendum necessarij.

10 Nè Inquisitionis causarum acta, breuiter, summamq; descripta, quę summaria processuum dicunt, nec verò actorum relationes, nec facti narratio, neque alia quęcumque tam iuris, quàm facti ipsidem explicatio, instructiove cuiusuis generis, ad eas causas pertinens, nec denique ullę scripturę eiusmodi, quę, uel pro reo, uel contra eum conficiuntur, vllò vnquam modo in posterum typis edantur, imprimanturue: sed quęcumque acta sint, quę eas causas attingant, manu scripta, ijs solum, uel iudicibus, uel consultoribus; alijsve ministris dentur, quibus dari oportet.

11 Aduocati & Procuratores in causis Sanctę Inquisitionis suscipiendis, agēdisve nullum ante aditum locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint.

12 In causis fidei Episcopus, Iudexve, cum Aduocatus, Procuratorve reo dandus est, cum det, qui probus sit, de legalitate non suspectus, & procurator quidem vtriusque Iuris peritus, vterque verò fidei zelator, qui que hæresis nomine numquam, neque suspectus, neque accusatus, neque ea infamia notatus fuerit: id verò, nisi planè ostenderit, se ex Iudicis sententia innocentem esse, & ab omnibus hæresis labo, suspicioneve purum, atque integrum.

Patrocinijs autem in ijs causis suscipiendi facultas cum datur, litteris exarata detur: nec verò aliter quisquam suscipiat.

13 Qui porrò datur, is, antequam patrocinium suscipiat, iuret, se bene, ac

Clemen. 1.  
§. porrò, de  
heret.

Ead. Clem. &  
§. porrò,

Quintũ, quæ  
ad h. ruc. ltu.  
pert. §. Aduo  
cati.  
§. De eo. §. in  
causis.

nē, ac fideliter defensurum, legitimisq; defensionibus vsurum esse, nec dilationibus captiosis, cavillationibusq; causam prorogaturum.

Vbi verò patrociniū susceperit, sciat suas partes esse, admonere reum, vt veritatem confiteatur, pœnitentiamq; petat pro culpa, si quā habet; eiusq; responsonem Curiaē notificare, intimare ve.

14 Meminerit verò Aduocatus, & Procurator, itē nullum vniquā patrociniū, neque hæreticis, nec suspectis, neque credentibus, neque fautoribus præstandum esse; ne, prout Innocentij III. sanctio est, ab officio suspensi, perpetuē infamiæ subiaceant.

Itaque vbi primum ex causarum actis, aliave vlla ratione animaduertent, reum, qui delatus est, hæreticum esse, aut eo nomine suspectū, id cum ipsi reo, iudiciq; denunciēt, tū statim illius defensionem deferat. Nec verò, si quid erit, quod ad Sanctum Officiū pertinens, in eiusdem causa reticere oportet, cuiquam patefaciat, quod eidem officio præiudiciū ferat.

Primum de prof. fid. §. sacro. 15 Sacro denique Inquisitionis Officio, in omnibus ex animo (Principes, scilicet, & Magistratus) faueant, & opitulentur; & vt eius edicta seruentur, auctoritatem etiā suam rogati interponant.

16 Cumq; eis à Sancta sede Apostolica concessum fuerit, vt causis fidei ad patrociniū Catholicę veritatis adlisterent, nihil sibi in illis vsurpare, neque quidquā, quod contra sacros Canones sit, attentare velint.

3. Que ad fi. tuē. stu. pert. §. eo. 17 Quicumque autem Sanctę Inquisitionis Officiū, statum, res; & ministros aliquo modo læserit, violaritve, contra eum, vt Pij V. Constitutione sancitum est, Episcopus agat ad illius sanctionis præscriptū.

18 Quam grauissimam sanctionem aliquādo, cum expedire cenluerit, promulgari iubeat.

De Iudæis.

S Y M M A R I V M.

- 1 Iudæi morum Christianorum corruptores.
- 2 Pileo, ac birreto crocei coloris vtantur. 20.
- 3 Cum eis Christiani cibum non capiant, & 5.  
Neque ad eorum dies festos, & Synagogas accedant. & 23.  
Ne item cum eis ludant, & choreas ducant.
- 4 Ne in eorum famulatu quoque esse possint.
- 6 Christianę mulieres Iudæorum non sint nutrices.  
Neque illarum opera vtantur ad fucum, & ornatum. 9.
- 7 Christiani, Iudæis medicis non vtantur.
- 8 Neque eorum opera in matrimonijs contrahendis.

Iudæis

- 10 Iudæis Ecclesie agræ non locandi.
- 11 In ædibus Ecclesie vicinis Iudæi non habitent: & proprias vendant.
- 12 Fæstis diebus non emant, aut vendant, secumq; Christiani contrahant. 22.
- 13 Tribus ante Pascha diebus domi suæ se contineant.
- 14 Christianorum dignitates, & officia obtinere non possint.
- 15 In vnum habitationis locum compellendi. 19.
- 16 In quibusvis rebus, cum Christiano contrahendis, sermone vulgari in suis libris vtantur.
- 17 Fraudulenta cum Christianis contrahendi ratio coercenda.
- 18 Constitutio Pij V. qua alia Pauli I I I. contra Iudæos edita continetur, promulganda.  
Synagoga vnica illis concedenda.
- 20 Mares, & fæminæ, signum patens ferant: sublata dispensatione contraria. 21.
- 24 Constitutio Gregorij XIII. de blasphemijs, & flagitijs Iudæorum sepè promulganda.
- 25 Et doctrina Christiana prædicanda, & à quibus.
- 26 Ad conciones conueniant, seorsum tamen à parentibus, & natu maioribus.
- 27 Conersionis signum dantes separandi, & in Cathecumenorum domo retinendi.
- 28 Cathecumeni, quomodo ad baptismum admittendi.
- 29 Baptizati, cuius curæ committendi.  
Eorumque institutio, quæ, & qualis. 32.
- 30 Quorum consuetudine non vtantur.  
Diebus fæstis, quæ munera obeant. 29. & 32.
- 31 Domus ad Neophitorum vsu paranda. 27.
- 33 Episcopus in his exequendis negligens, rationem cui redditurus.
- 34 Iudæis ad fidem conuersis, bona sua adimenda.  
Constitutio Pauli I I I. de Iudæis, et infidelib. conuentis, Neophitisq;.  
De Constit. num. 36.

Primum de Iudæis, §. co.



T quantum possumus, Iudæis corrumpendi Christianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occasionem adimamus; ipsosque ad viam salutis traducere studentes, ex sacrorum, etiam Canonum Decretis, edicimus.

Vt Iudæi semper, & quocumque iter faciant; viri pilcum, seu birretu crocei coloris; mulieres impositum reliquo capitis integumento, pannum eiusdem coloris ferant.

Ne



*Constitutionum, & Decretorum Synodaliu[m]*

- 3 Ne Christiani ad conuiuia, nuptias, vel dies festos, & Synagogas Iudaorum accedant; aut cum eis ludant, vel quod detestabilius est, choreas cum Iudæis agant.
  - 4 Ne Iudæis Christiani in famulatu esse possint.
  - 5 Ne Christiani, si in diem, uel horam, Iudæis operas suas locauerint, apud illos cibum capiant.
  - 6 Ne Christianæ mulieres, Iudæorum nutrices in eorum domibus esse ullo pacto possint. Nec verò extrà eorum domos, nisi cum necessitas, ordinario probanda, postularit.
  - 7 Ne Christiani, Iudæos medendi causa, ad se accerant.
  - 8 Ne coniungendis inter se matrimonijs eorum opera utantur.
  - 9 Ne Christianæ mulieres Iudæas fuci, pigmentorum, aut ornandi se causa adhibeant.
  - 10 Agros, prædia Ecclesiastica, Iudæis locari, vasa, vestes, aliæ sacra, vel ad vsum Ecclesiæ destinata, vendi, aut pignori dari ne liceat.
  - 11 Ne in ædibus, quæ Ecclesijs vicinæ sint, Iudæi habitent; & si qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omninò migrare cogantur.
  - 12 Ne Christiani cum Iudæis in diebus festis, emptionis, uenditionis, vel alio nomine contrahere audeant.
  - 13 Ne tribus ante Pascha diebus Iudæi in publicum prodeant, neque quidquam palam, vel secreto, in contemptum Christianæ religionis facere audeant.
  - 14 Ne dignitatem, uel publicum officium, quod ad Christianos pertinere aliquo modo possit, Iudæi obtineant.
- Hæc & reliqua, quæ de Christianorum cum Iudæis consuetudine sacris Canonibus constituuntur, curent Episcopi, & Principes, ac Magistratus, pro suæ quisque auctoritatis munere, pœnis contra Christianos, & Iudæos acrioribus constitutis, ut inuolatè seruentur.
- 15 Vehementer etiam à Principibus petimus, vt in singulis Ciuitatibus certum locum constituant, ubi Iudæi separatim à Christianis habitatum conueniant. Et si quas proprias aedes Iudæi in Ciuitate habent, intra sex menses eas uerè, non autem simulato contractu, Christianis vendi iubeant.
  - 16 Illud præterea pro sua pietate Principes statuere debebunt, ut Iudæi in quibusuis contractibus, & negotijs, quæ cum Christianis haberint, in libris suis conscribendis, literis, & lingua uulgari nostra, non autem sermone, aut characteribus Hebræis utantur: si secùs fecerint, seuerè puniantur. Nullumque inde ius eis esse possit agendi, uel excipiendi.
  - 17 Omni denique diligentia illos in eo eniti equum erit, ut fraudulentam, & insidiosam Iudæorum cum Christianis contrahendi rationem,

tionem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

De Iudæis Concilio Prouinciali primo multa cauius, quibus hæc addenda statuimus, quo diligentius etiam perniciose eorum consuetudini, atque diuini cultus offensionibus occurratur.

18. Quod olim Summorum Pontificum Constitutionibus, & præsertim Pauli IIII. & Pij V. qui eiusdem Pauli sanctionem litteris xiiij. Calend. Maij M. D. LXXVI. editis, renouauit, & auxit, sancitum fuit de vita, & habitatione Iudæorum, cum ad Christianorum hominum fidei integritatem, & morum puritatem tuendam valde pertineat; Episcopus, in cuius Diœcesi illi, uel habitant, uel aliquando diuersantur, singulis annis stata die eam Constitutionem Pij V. qua etiam illa, quæ ab eodem Paulo IIII. iam antea edita erat, continetur, promulget: curetque omni diligentia, ut in primis, tum ex earum Constitutionum, tum etiam ex Concilij Lateranensis præscripto, in Ciuitate, oppido, pago, locoue, ubi Iudæi habitant, si complures Synagogas habent, seu domos ad Synagoga officium iam adhibent, tollantur omnino, cessentque omnes, vnà tantum excepta, quæ tamen ab ecclesijs fidelium distet. At uerò nouas construere, constituere, aut penitus dirutas reficere ne patiatur: nec rursus ueteres altius extolli, aut amplificari, aut magnificentius aliquo modo exadificari.

19. Agat etiam cum Principibus, si opus erit, ut quemadmodum olim à nobis decreto Prouinciali, & eisdem Pontificijs Constitutionibus cauetur, sublatis impedimentis, uerè tandem Iudæi omnes in vno, & eodem loco Urbis, locive, ac si ille capax non erit, in duobus, aut tribus, qui inter se cõtinentes sint, & à Christianorum habitationibus seuncti, ad præscriptum illarum Constitutionum habitent; domiciliũ uerò non solum proximum; sed ne in conspectu quidem Ecclesiæ, oratorijue, quo populus conuenire soleat, constituere, habitare uel illo modo patiatur.

20. Ut mares, & femina signum semper patens ferat, quò in urbibus, municipijs, locisue omnibus, atque adeò in itinere dignoscantur ad earum Constitutionum præscriptum.

21. Qua in re quicquam à nemine concedi, permissive uel quouis, etiam dispensationis nomine posse illis sanctionibus cautum est.

22. Ne Dominicis, uel alijs festis diebus, quos coli, & sanctificari præcepti, consuetudinise est, Iudæi opus quicquam seruale, mundanũ uel publicè per seipos, seu alios faciant.

23. Nec uerò fidelis quisquam in eorum Synagogis ullo modo, ut eo primo Concilio uentum est, si de neque illo usquam loco eorundem.

B cetero-

5. Que ad si  
tué. stu. port.  
S. eo. 117. 09  
lit. de. Con.  
lit. mun. 28.

Primum de  
Intra. 2. co.

2. 2. 2.  
2. 2. 2.

ceremonijs, ritibusve interfit.

6. Quæ ad fi.  
tuè pt. §.eo.  
Constit. Gre  
go. XIII in-  
frà de Con-  
stit. num. 38.

24 Grauis illa sanctio, qua summus Pontifex Gregorius XIII. Iudæorum blasphemijs, & flagitijs obuiam ire voluit, in omni nostra Prouincia, præsertim ubi Iudæos habitare permissum est, quotannis non semel, atque iterum, sed etiam sæpenumero, prout Episcopus opus esse censuerit, de more promulgetur. Atque ob eam causam Concilio huic sexto in fine illam adiungi statuimus.

Primum de  
Iudæis. §.eo.

25 Monemus verò Episcopos, ut ab hominibus pijs, ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudæorum: vel si huiusmodi non reperiuntur ab alijs doctis, ac bonis uiris curent fidem, ac doctrinam Christianam Iudæis prædicandum.

26 Ad eas conciones Iudæi omnes iussi conueniant; sed pueri, ac puella seorsum à parentibus, atque alijs maioribus natu, concionarum audiant: qui ipsos familiariter instituat, & interrogantibus benignè satisfaciat.

27 In quo signum aliquod conuersionis cognitum fuerit, is ab alijs separetur: & in domum aliquam, Cathecumenorum, ad id paratam deducatur; ubi diligentius omnia, quæ scire Christianum oportet, doceatur.

28 Catechumeni ne baptizentur, nisi prius diligenter instructi, & examinati fuerint, præsertim si grandiores sint.

29 Baptizati curæ alicuius probi uiri, saltem per annum committantur, qui uitam illorum ijs rationibus regat, ac moderetur.

Vt diebus festis Missam, Conciones, ac Vesperas obeant. Alijs diebus aliquo artificio, quo uictum quærere possint, utantur.

30 Ne cum Iudæis ullam omninò consuetudinem habeant: Neue cum Christianis, quorum uita flagitiosa sit.

5. Quæ ad fi.  
tuè. stud. pt.  
§. eod.

De Iudæis nuper baptizatis, in Concilio Prouinciali primo aliqua constituimus, quibus hæc de illis ipsis, & de alijs etiam Neophytis adiungenda decernimus.

31 Episcopus igitur, in cuius Diocesi Iudæi habitant, cum fieri possit, ut Deo uolente, eorum multi è tenebris ad fidei lumen accedant, illud aliqua ratione curet, ut certa domus, locusue pius, si commodè potest, eo potissimum nomine constituatur, ubi illi nuper baptizati, Neophytice alantur, ad uitæque Christianæ usum instituantur. At uerò, si id fieri nullo modo potest, eos, si quos in Vrbe, Diocesi que habuerit, certè alterius loci pij Congregationi in curam tradat, aut aliquem certum sacerdotem, spectata probitate uirum, spiritualisque uitæ studiosum, deligat, qui illorum uitam instituat, ac moderetur.

32 Quo in genere eius, qui ab ipso Episcopo delectus, eorum curæ quouis

quouis modo prærit, studio, hæc ratio, quemadmodum infra ineur.

Vt non solum diebus festis, Vt alio Concilio cautum est, sed in ferijs etiam singulis; Missæ sacrificio intersint, Et conciones præterea, sacras lectiones, supplicationes, officiaque diuina, Vesperas, præsertim festis diebus obeant: charitatisque Christianæ opera præstent, ægrotum publicas hospitales domos præcipuè visitando.

Vt singulis diebus bis, mane, & Vesperis, certo breui temporis spatio sanctè orent.

Vt cum signum salutationis Angelicæ ter in die datur, genua flectant, & attentè precentur.

Vt stationes, ecclesiasve indulgentiarum frequentent.

Vt octauo quoque die peccata confiteantur, & decimoquinto quoque die rursus confessi, sacram communionem sumant.

Vt quo die sumunt, in sancta oratione, sanctisque exercitationibus, & charitatis operibus illum totum consumant.

Vt feria sexta, & sabbato, qui per ætatem, & valetudinem possunt, ieiuent.

Vt sacra anni tempora, vtpotè Aduentus, Quadragesima, aliæque statæ anniuersariæ celebritates, cum appropinquant; ad eorum, earumve mysteria instruantur, quò sanctioris vitæ disciplina, & operibus, Christiana pietate dignis, sacrorum eorum temporum, dierumve cursum religiosius conficiant.

Abstineant a lautioris, & delicatioris uitæ usu, longè que diligentius ab improborum hominum consuetudine.

Aliquam quoque cautionem adhibere caret Episcopus, Vt hi homines, cum matrimonium ineunt, non inter se contrahant, sed cum ijs, qui à Christianis antiquam, perpetuamque originem ducunt.

Ne inter se item multam consuetudinem habeant, ut Pauli III. Pont. sanctione cauetur.

Ne ulla in re Mosaycæ legis ritus retineant, aut sectentur.

33 Hoc in genere si Episcopus negligens erit; sciat se in Concilio Provinciali, re omni diligenter perquisita, rationem redditurum. eadem Pontificia Constitutione: quæ quotannis semel, vbi aliquis Neophytorum numerus est, in Ecclesia Cathedrali, Collegiatisque, de more promulgetur. certo die, quem idem Episcopus præstiterit.

34 Curet Episcopus, ut Iudæus, qui ad fidem se conuerterit, omnia bona sua habeat, ac, si filius familiæ sit, legitima, & quæcumque alia bonorum pars, ei iure debita, à patre, etiam uiuente, detur. Vel,

B 2 si mu-

Constit. Pauli III. videatur, titu. de Cost. nu. 36.

si mulier fuerit, ei dos à marito restituatur, uel à patre constituatur, unde ali possit, ex præscripto Constitutionis Pauli III. Summi Pont. præsertim in iis, quæ ille statuit de iis facultatibus, quæ ex uſuris comparatæ sunt.

De Cingaris.

SUMMARIUM.

- 1 Cingari, Magistratus opera eijciendi, & 2.
- 3 Episcopi officium in eorum uita inquirenda.
- 4 Si publicè offenderint, ut emendandi.

Primum de  
Histrio. Cingaris, & cat.  
§.eo.

I



E his etiam Principes, & Magistratus commendos esse duximus.

Vt uagum, & fallax Cingarorum genus arceant; nisi certis sedibus collocati, uitam honestis artibus, & in reliquis omnibus, ut Christianos homines decet, agere uelint.

§. Que ad finem. ita. pert.  
§.eo.

2

Quibus Prouinciæ locis uagum, & fallax Cingarorum genus adhuc uersatur, & nondum ex decreto Concilij Prouincialis primi, Magistratus opera, atque officio à Prouinciæ finibus arcentur, hæc diligentia adhibeatur.

3 Primò, Episcopus, in cuius Diocesi eos morari, aut uagari contigerit, diligenter inquireat, an, ut Christianos decet, in omni uita se gerant, anq; sanctæ Ecclesiæ institutis, & præceptis pareant.

Rursus an quicquam contra agant, quod Schismaticorum morem, uſumque præ se ferat.

An Quadragesimæ tempore, ieiunijque diebus, carne, & cibis uentis uescantur; an nouis ritibus utantur. Quod si contra Ecclesiæ instituta, ritusque ab illis aliquid agi, geri, fieri uel compertum erit, quodque præsertim eiusmodi sit, quamobrem hæresis nomine suspecti esse possint, in eos Episcopus grauius agat, & animaduertat, etiam pro culpæ ratione ad sacrorum Canonum, Pontificiarumque sanctionum præscriptum.

4 Si uerò eos ullo alio modo publicè offendere cognitum erit, ab Ecclesiæ diuinarum officiorum tempore eijci iubeat, quò ad emendatæ uitæ explorata testimonia, & exempla uiderit.

De editione, & usu sacrorum librorum, ac Indice librorum prohibitorum deq; Impressoribus, & Bibliopolis.

S V M M A R I V M .

- 1 Perniciosorum, & falsorum librorum pesti occurrendum.
- 2 A Bibliopola, & alijs libri venales non exponendi Indice non confecto, obtentaq; licentia. 3.
- 4 Libri inuerti denunciandi, nullique commodandi, Indice nondum ministris exhibito.
- 5 Libri, opuscula, & c. nondum recognita non euulganda.
- 6 Neque imprimenda.
- 7 Recognitionis scriptum libri principio imprimendum.
- 8 Libri exemplum auctoris manu, & nomine signatum, & impressum, quibus tradendum, & ubi asseruandum.
- 9 Libri, qui non edendi ficto alterius auctoris nomine.
- 10 Librorum impressioni litterae grandiusculae cuius imaginis non adhibenda.
- 11 Qui etiam characteres non adhibendi.
- 12 Libris impressis impressionis tempus adiungendum.
- 13 Libri imprimendi in Codicem referendi.
- 14 Libri, alijs concessu editi, sine noua facultate non imprimendi.
- 15 Libris à defuncto relictis non vtantur haeredes, neque illos vendant Indice non confecto, obtentaq; licentia.
- 16 Bibliorum, & Testamenti Noui vulgarium, certorumq; aliorum librorum usus, quibus concedendus.
- 17 Libri de Officio Beatæ Virginis, qui non vendendi.
- 18 Libri paruuli, falsis, superstitiosisq; titulis aspersi, nisi recogniti, & expurgati non retinendi, neque vendendi.
- 19 Libri alij pestiferi, Indice Tridentino non notati, ab Episcopo interdicendi.
- 20 Librorum venalium, Index ab Episcopo subscriptus habendus.
- 21 Libri venales à parcho, de improviso visitandi.
- 22 Libri in Indicem non relati, Episcopo denunciandi, & sequestrandi.
- 23 Libri damnati ubi reperiuntur, quid agendum.
- 24 Bibliopola, & Fidei professionem emittant. De profes. Fidei, Impressores numero 16.
- 25 Indicis librorum prohibitorum, regulæ à quibus seruanda.
- 26 Indicem ipsum, Theologi, Iurisperiti, Medici, et alij litterarum professores habeant.

- 25 Conclusiones in publicum proponenda à quibus probanda.  
 26 Libellorum famosorum facinus prohibetur.  
 27 Laicorum, & clericorum illos euulgantium pena.

Tertiū, quæ  
 ad si. tué. stu.  
 pert.  
 Conc. Trid.  
 ses. 4. De edi.  
 & vsu sacr.  
 libr.



**P**ERNICIOSORVM, & falsorum librorū,  
 cum perpetua quodammodo pestis sit, cui reme-  
 dium semper afferre oporteat, de ijs sæpè, & sum-  
 morum Pontificum Constitutionibus, & sacrorū  
 Canonum iure, cautum est. Postremò autem  
 multa, tum Concilij Lateranen. ultimi Decreto,  
 tum nuper Tridentino Concilio, & Indice utili-  
 ter constituta sunt.

Quæ ut Episcopi studio à Bibliopolis, Impressori-  
 bus, & reliquis item omnibus, quorum interest, diligentius, quàm ha-  
 ctenus factum sit, ubique præstentur; illa ferè omnia, aliq; nonnulla  
 eodem spectantia, quæ addenda censuimus, simul complexi, Prouin-  
 ciali hac Constitutione toto eo degenerate sic edicimus, propositis, eor-  
 dem Lateranensi, & Tridentino tum Concilio, tum Indice, & Pij IIII.  
 Constitutione de eo Indice lata, pœnis sancitis, & præterea Episco-  
 pi arbitrato.

Trid. ses. 4.  
 de edit. &c.  
 ver. sed & im-  
 pressorib.  
 Sess. 10.  
 Sess. 4.

2 Vt quicumque artem librariam exercet, ab eo ne patiatur Episco-  
 pus libros uenales proponi; nisi confecto librorum suorum Indice,  
 cui ab se, aut ab eo, à quo eam curam in recognoscendis libris gerit  
 uoluerit, & ab Inquisitore, etiam subscriptum sit: neque facultate sibi  
 ab eisdem non permissa ullos alios cuiusuis generis libros ille ha-  
 beat, aut uendat, aut quauis ratione tradat, illo Indice non notatos.

Ead. ses. & de  
 creto, ver. ne  
 que illos.

3 Ne loco publico, portorijs, mercibusve importandis constituto,  
 libros ministri publici eius loci exportari patiatur; nisi, qui illos impor-  
 tarent, aut Bibliopolæ, aut alij, quorum sunt, scriptum, eorundem manu  
 signatum, attulerint, quò exportandi potestas fiat.

4 Libri non publico mercium loco expositi, sed alio in Urbem inue-  
 cti, ab eo, qui inuexit, uel inuehi iusserit, eisdem denuncientur: nec  
 libri à quouis inuecti, uel in Urbem introducti, alijs commodentur, aut  
 quauis alia ratione tradantur, antequàm is, qui introduxerit, illis, ad  
 quos recognitio pertinet, Indicem eorum ostenderit; ab eisdemque  
 item facultatem obtinerit, idque, nisi libri id generis sint, ut eos om-  
 nibus permissos esse perspicuè constet.

Trid. ses. 4.  
 de edit. &c.  
 ver. sed &c.

5 Ne quis opuscula, libros, commentarios, aliaque id generis, quo-  
 uis titulo, & nomine, quæ manu scripta sunt, euulget; nisi ab Episco-  
 po, aut ab alio eius iussu, & ab Inquisitore recognita sint, atque appro-  
 bata subscriptionibus.

6 Ne præterea quis librum, scriptumve cuiusuis generis imprimat,  
 impri-

imprimere curet; nisi ab eisdem, Episcopo, & Inquisitore recognitum, & scripto comprobatum.

Conc. Trid. ibid.

7 Quod recognitionis, & probationis scriptum, libri imprimendi principio, recognitorum manu notatum principio ite libri imprimatur.

Esd. ses. 4. de edi. ver. ipsa. Ibid.

8 Libri exemplum, auctoris manu, & nomine notatum, ubi primum impressum est, recognitoribus tradatur asseruandum.

Hoc decretum per seq. abrogatum. §. Quæ ad fi. tuæ. stu. pert. §. eo.

Vt fraudi occurratur, quæ plerumque in opere impressorio fit, ea præter ceteras cautio adhibeatur, ut liber, ubi primum impressus est, per recognitionis præfectos ante conferatur, quàm uenalis officinis, tabernisve librarijs, proponatur. Qui liber, ita accuratè collatus, auctoris subscriptione signatus, non recognitoribus, ut alio Concilio Decretum est; sed quò rectius custodiat, Episcopo tradatur, qui eundem certo loco in Archiuo asseruari perpetuò iubeat.

6. Quæ ad fi. tuæ. pt. §. eo.

9 Moris olim fuit vitandæ gloriæ, ostentationisve causa, libros aliquando alterius nomine, etiam assumulato, euulgari: sed quoniam hæc tempora, quibus impressoria editio aditus esse potest, ad nefaria quæque profeminanda, diligentiorum cautionem requirunt; interdictum esse uolumus, mētito, ficto uel alterius auctoris nomine libros, uolumina, litteras, scriptave cuiusuis generis, argumentive, de quibus in Indice, seu Concilio Trident. cauetur, euulgari, edi, typisve imprimi, sine consensu illius, cuius nomine edentur, ac Episcopi permisso.

Sess. 4. decre. de edi. & usu sacr. libr.

Alioquin in delinquentem animaduertatur pro grauitate criminis, arbitrio eiusdem Episcopi.

10 Ne litteras grandiusculas, quas initio, uel librorum, uel capitum imprimi moris est, aliquam obscenæ, turpisque imaginis speciem exprimentes, ad librorum impressionem adhibeant, qui artem impressionem quouis modo faciunt: cum eiusmodi sint, quæ hominum mentes aliquando, scædè, turpiterque afficiant, & bonos itidem offendant, ut obscenè scripta.

5. Quæ ad fi. tuæ. stu. pert. §. eod.

11 Ad libros uerò, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, imprimendos, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expressa appareat alicuius rei prophanæ, nedum turpis, obscenæ, species.

12 Libris impressis, appposito imprimētis nomine, adscribatur item annus, quo impressi sunt.

3. Quæ ad fi. tuæ. stu. pert. §. eo.

13 Libri, quos typis mādari cōcessum, & in Codicem à recognitoribus referantur, notato cōcessæ facultatis anno, & die, descriptis etiam nominibus eorum, quibus eos imprimendi potestas facta est.

14 Ne liber, uel exiguus, quamuis superiorum concessu, aliàs sæpè editus, sine facultate iterum impetrata, typis in uulgas emittatur, imprimaturve.

6. Quæ ad fi. tuæ. pt. §. eo.



3. eo. tit. & §. 15 Ne hæredes, vltimarumve voluntatum exequutores, libris à defuncto relictis, vtantur, aut alijs vtendos dent, vel uendant, aliave quauis ratione tradant, antequam illos, aut eorum Indicem ipsis Episcopo, & Inquisitori attulerint, facultatemque obtinuerint.
- 16 De Biblijs autem uulgariter redditis, & de Testamento Nouo, in uulgarem etiam sermonem conuerso, de libris præterea qui de rebus inter Catholicos, & hæreticos controuersis communi item lingua conscripti sunt, ea diligens cautio adhibeatur, vt illorum vsus iis tantum concedatur, quibus Episcopus, aut Inquisitor, de consilio parochi, aut confessarij permittendum iudicarit.
- 17 Libri de officio, & precibus horarijs B. Marię Virginis uulgariter, vel Italicè, vel Hispanicè, vel Gallicè, vel Germanicè: vel partim Latino, partim uulgari sermone expressi, uenales ne proponantur, neque uendantur. Si qui uerò eos adhuc habent, ad sacrę Inquisitionis officium statim deferre cõpellantur, vt edita à Pio V. Constitutione sancitum est.
- 18 Caueat Episcopus, ne libri illi paruuli, quibus preces uarię continentur, falsis, superstitiosisque titulis aspersi, habeantur, aut uendantur, nisi suo, aut Inquisitoris, aliorumve Theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti studio primum recogniti, & purgati sint.
- 19 Adhibeat idem aliquando aliquot suę Ciuitatis peritissimos homines, quorū opera, & studio accuratè cognoscat, si qui pestiferi libri sūt, Indice Tridentino non notati, quorum vsu, & lectione interdicedum sit, eiusdem Indicis auctoritate. Quos libros id generis cognouerit, ne in Urbem, aut in Diocesim suam illi inuehantur, caueat quàm diligentissimè, eorumque nomina, cum ad sacrę Romanę Inquisitionis Patres deferenda curet, tum alijs Prouincię Episcopis significet, quò diligentius pesti obstruatur aditus.
- 20 Qui per Vrbes præterea, vicos, oppida, aliave loca, libros uenales circumferuntur; eorum etiam Indicem habeant, cui ab Episcopo, & ab Inquisitore, aut ab ijs, quibus librorum recognitio ab illis delegata est, subscriptum sit.
- 21 Hos parochus, in cuius parochiæ finibus illi uenales libros exponunt, circumferuntve, de improviso aliquando uisitet. Ac si, aut illorū Indicem non habere, aut alios præterea, eo Indice non descriptos, uendere, habereve compererit; tum eos Episcopo, aut Inquisitori denunciet, tum libros omnes sequestri nomine inhibeat, donec aliter ab eo, cui denunciarit, iussum erit.
- 22 Si libros, Indice Tridentino damnatos, improbatosve, apud eos deprehenderit, illos etiam comprehendi, aut sponcione saltem facta sibi ab illis cauere curet, vt ad certum diem se sistant in iudicio Episcopi, aut Inquisitoris.

23 Episcopi regulas Indicis de libris vetitis, ab ijs, qui illi negotio à Sa-  
crofancta Tridentina Synodo præfæcti fuerunt, ex auctoritate Sanctif-  
simi D. N. Pij IIII. editas, ab omnibus librorum impressoribus, ac  
Bibliopolis, cæterisque omnibus laicis, & Ecclesiasticis personis ser-  
uari iubeant.

Quorum librorum purgatio, eiusdem Indicis iussu facienda est,  
eos legi, uendi, aut emi, haberive omnino uetamus, donec ab ijs, ad  
quos pertinet, purgati, & probati fuerint.

24 Librorum prohibitorum indicem, iussu Tridentini Concilij con-  
fectum, iam pridem promulgatum, omnes, singuli que apud se habere  
curent, siue Theologi, siue Iurisperito, siue Medici, siue aliarum lit-  
terarum professores, disciplinarumq. studiosi, & alij item, quicumq.  
librorum numerosam suppellestem possident. Si quis uero eorum,  
qualis, qualis sit, eum non habuerit, tantum absit, ut excusationi legiti-  
me locus relinquatur, quod nescierit, illos id generis esse, ut contra eum  
pro librorum, quos uetitos, retinuerit, ratione seuerius agatur ad præ-  
scriptum regulæ eiusdem Concilij.

25 Quæ de quauis scientia problemata, uel axiomata uel alia quæuis  
eius generis publicè exercendi ingenij causa, aliave ratione proponi  
solent, caret Episcopus ne in posterum ante à proponantur, quam ab  
ipso, aut ab ijs, quos huic rei præfecerit, cognitum sit, nihil in ijs sub-  
esse quod doctrinæ fidei, & pietati Christianæ repugnet.

26, 27 Libellorum famosorum graue facinus, unde alia prætereà pecca-  
ta, & scelera, & mala exoriuntur, ut quantum in nobis est, è provincia  
nostra profligetur, statuimus, sancimusque, eos, quicumque sint, qui  
illos scripserint, ediderint, diuulgauerint, excommunicationis latè sen-  
tentię pœnam statim subire. Si clericus uero sit, qui tale crimen admi-  
serit, beneficiorum etiam, si quæ habet, amissione mulsetur, præter  
alias pœnas, eo de genere Canonum legibus sancitas.

A qua excommunicationis pœna nemo quisquam, huius criminis  
reus, absolui possit, nisi fama, & honore, cui iniuriosè detractum est,  
restituto, pro arbitratu Episcopi. Id uero ipsum, quanto difficilius est  
prestari, tanto diligentius, studiosiusque, pro suæ quisque conscientię re-  
ligione ab eo flagitio, scelere uere cauere debet.

*De abutentibus Sacra scriptura.*

*SUMMARIUM.*

1 *Sacra scriptura abutentes ab Episcopo coercendi.*

Con-

1. de prof. fi-  
dei, §. eo.

Sessio. 18. in  
prin. & sess.  
25. c. h.

5. Quæ ad fi-  
dei tuæ. stud.  
pert. §. eo.  
Sess. 25. de In-  
dice librorum,  
&c.

2. Quæ ad fi-  
dei tuæ. &c.  
Decreto 4.

C. de fam. li-  
bell. l. vni.

5. Quæ ad fi-  
dei tuæ. stud.  
pert. §. eo.

- 2 } Concionatores  
 } Parochi  
 } Confessarij } de huius peccati grauitate populum admoneant.

1. de abu. Sa-  
 cra scriptura  
 §. co.

Trid. Conc.  
 ses. 4. de edit.  
 & vsu Sac. li.  
 ver. posthæc.

**N**EFARIA est eorum temeritas, qui Sacræ scri-  
 pturæ verbis, vel sententijs ad iocum, assentatio-  
 nem, contumeliam, superstitionem, impietate,  
 aut ad quofuis profanos sensus abutantur. Quam-  
 obrem Episcopi eos, qui in hoc genere deliquere-  
 rint, ex Sacrorum Canonum, & Tridentini Con-  
 cilij Decretis grauitè animaduertant.

2 Et vt detestabilis hæc licentia prorsus tollatur fidelem populum  
 per concionatores, parochos, confessores de huius peccati grauitate  
 frequenter admonendum curabunt.

De Ludimagistris.

S V M M A R I V M.

- 1 Ludimagistri quales deligendi.
- 2 Episcopi iudicio comprobandi.
- 3 Probatio eorum qualis.
- 4 Probationis facultas quamdiu duret.  
 § Fidei professionem ydem emittant. De profess. fid. nu. 5. & 6.  
 § Ea nondum emissa, quid a parochi agendum. Ibid. num. 9.
- 4 Fidei professione ab illis facta, eorum mores, vita, & puerorum insti-  
 tutio obseruandi.
- 6 Quos libros interpretantur: quosque interpretari prohibeantur.
- 7 Profana ad Christianam institutionem conuertant.
- 8 Fidei rudimenta doceant.
- 9 Concilij Lateranensis iussa ut obseruent, quid ab illis agendum.
- 10 Pueros ad Missam, Concionem, Vesperas, Sacras lectiones doctrinæq;  
 Christianæ scholas conducant.
- 11 Quotidianas, ludi exercitationes pia prece inchoent, & concludant.
- 12 Tabellam Sacræ imaginis in ludo affixam publicè habeant.
- 13 An Ludimagistri superius dicta exequantur visitationis tempore in-  
 quirendum.  
 Anque libros habeant improbatos, vel suspectos, & an pueri bone-  
 stè educantur.
- 14 Episcopi, quæ cura cum magistris ipsis.



**P**RINCIPI S, & Magistratus in Domino vehementer hortamur, vt nulla sumptus sui habitatione, publicos Ludimagistros in vrbes, & suæ ditionis loca conducant, non minus fidei, & vitæ, quàm doctrinæ, & scientiæ laude comendatos.

1. de Ludimagistris.

2 Quorum etiam omnium mores, antequàm ad docendum accedant, probare debent: alioquin de ijs pœnas, in eadem constitutione propositas, sumant.

1. de prof. fidei §. Episc. ver. Quorū.

3 Et quoniam ad Christianam pietatem hoc valde interest, vt instituendæ pueritiæ, atque adolescentiæ munus committatur viris, non scientia solum, sed fide, ac moribus, vitæque probatis: eam ob causâ, à quo fidei professionem Episcopus recepturus est, ante ab eo, cum vitæ suæ rationes perquirat, tum si quod testimonium fidei, morumque à probatis viris habet, afferri iubeat. Quod si ea vel non afferuntur, vel eiusmodi sunt, quibus ipsius Episcopi conscientiæ ac iudicio non satisfaciat, id ipsum aliundè Episcopus quærat, ab ijs præsertim, apud quos ille diu fuerat: hocque diligentius inuestiget, si vel è longinquis, vel hæresis nomine suspectis, vel morum corruptela inquinatis locis illum esse, aut venire animaduertit.

3. Quæ ad fidei tuæ. stud. pt. §. eo.

4 Quo autem exploratiore vitæ, disciplinæq. Christianæ mores magistrorum, præceptorumve sint, eam Episcopus cautionem adhibeat; vt cum illos moribus probat, huius probationis facultas, litteris exarata, nè diutius cuiquàm eorum suffragetur, quam per annum vel biennium, trienniumve ad summum. Quo tempore confecto, cum Episcopum adierint, qui illam proroget, confirmetve, tunc maximè is de illorum moribus, vita, ac etiam de docendi, influendi que rationibus item diligenter perquirat, si que eos nec præstare que debent, vel in re aliqua offendere animaduertit, facultatem nè proroget, neve confirmet, antequam illorum, vel negligentiam, vel aliam culpam, emendatam cernat.

5. Quæ ad f. dicationem, &c. §. eo.

5 Hoc præterea diligentè adhibeat Episcopus, ut posteaquam aliquis, fidei professione, ad præscriptum facta, docendi curam susceperit, eius etiam vitæ, morumque ratio, & puerorum, institutio aliquando obseruetur, idque in ijs potissimum Ludimagistris, qui certa pacta mercede, in disciplinam suam traditos pueros domi educant.

3. Quæ ad fidei tuæ. stud. pert. §. eo.

6 Qui verò litteras docebunt, non solum libros, Indice Sanctissimi Domini Nostri Pij III. auctoritate edito nominatim veritos, pueris non interpretentur, aut ab illis legi patiantur: Sed neque etiam alios, quibus obscœna, uel turpia contineantur.

1. de Lugimagistris. §. eo.

Quorum librorum lectione, explicationem puerorum, aut adole-

scen-

4. Quæ ad fidei tuæ. stud. pert. scientium animi deprauantur, & mores facile corrumpuntur; quo in genere ij sunt, qui res obscenas, & turpes continent: eos, vt Indice Tridentino sancitum est, è Ludimagistris prælegi, explicariue, Episcopus non patiatur, ac planè vetet, ac illis quicquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodque impietatem inducat, vt Lateranensi vltimo Concilio decretum est.
5. Quæ ad fidei tuæ. stud. pert. §. eo. Episcopi cura sit, tum pueros, adolescentefve, tum Doctores, ac Magistros prohibere vsu eorum librorum, quos ex Decreto Concilij Tertij prouincialis, quoniam obscena contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, certo Indice nos complectemur.
5. Quæ ad prædicat. verbi dei, &c. §. eo. 7 Si quæ profana magis aliquando exponent, omnia ad rectam disciplinam, egregiamque morum indolem præclaris interpretationibus traducere studeant, quod facile assequantur, si quid perpetuò in suis explicationibus interponet, quod ad institutionem Christianæ pietatis studijs dignam, pertineat.
1. de Ludimagistris. §. eo. Sess. 9. 8 Præcipimus etiam vt bonis moribus, & salutaribus præceptis eos erudiant; in primisq; in aliqua pia, & Christiana institutione, si Episcopo videbitur, exerceant; cæteraque omnia officia, quæ Leo X. in Lateranensi Concilio statuit, præstent. In ijs si deliquerint, pro delicti genere plectantur.
3. Quæ ad fidei tuæ. stud. pert. §. eo. Iubeat Episcopus pueros, adolescentefve à Ludimagistris, Christianæ religionis præcepta, atque fidei rudimenta doceri, adhibitis ijs solis libris, quos Episcopus ipse præscripserit, prout ad illud instituendum eos idoneos esse iudicauerit. Dominicis verò, & festis diebus nullo alio præterea doctrinæ genere illos instrui liceat, quod omne eo ipso Concilio Lateranensi præscriptum est.
5. Quæ ad prædicatio. &c. §. eo. 9 Ludimagistri, quo commodius præstent, quod ex Concilio Lateranensi in Synodo nostra prouinciali tertia eis ad pueros in doctrina pietateque Christiana recte instituendos præscriptum est, decernimus, tum hanc ipsam Decreti partem, tum conscriptum de eadem doctrina libellum, cum libris rudimentorum Grammaticæ coniungi, eisdemque agglutinari. Nec vero id generis libros, quos Episcopus in tra- sue Diocesis fines, in frequentiori puerorum vsu esse animaduertit, talesque notarit, ac declarauerit, decreueritque, deinceps sine eo doctrinæ Christianæ libello imprimi, & vendi, in vsuue puerorum adhiberi liceat.
3. Quæ ad fidei tuæ. stud. pert. §. eo. 10 Illud etiam eisdem præscribat Episcopus, vt diebus festis, scholæ suæ adolescentes, puerosve, aut ipsi conducant aut frequentes illos conuenire iubeant ad solenne Missæ conuentualis sacrum, ad verbi Dei conciones, ad diuina Vesperarum officia, ad sacrarum litterarum inter-  
preta-

pretationes; ad doctrinæ Christianæ scholas; & ad alia denique vitæ Spirituales studia, atque exercitationes.

11 Quotidianas Ludi exercitationes, ac studia inchoent, & concludant item pia aliqua oratione, & prece, quæ antequam absoluantur, pueri è Ludo sine vrgenti causa nè missi stant.

5. Quæ ad prædicat. §. eo.

12 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius Sacræ imaginis appenditur, ad quam diebus singulis discipuli statas preces faciant.

Ibid.

13 Hæc omnia, an ab ijs præsentur, Episcopus visitando aut ipse, aut alius eius nomine inuestiget diligenter, tum maximè, an libros isti apud se habeant, vel ob fidei doctrinam, vel ob morum institutionem damnatos, improbatosve: tum præterea, an qui in eorum disciplinam traditi sunt, honestè educantur.

3. Quæ ad fidei tuæ. stud. pt. §. eo.

14 His temporibus tanta puerorum licentia est, atque adeò effrenata, ut etiam peccandi materiam afferat; tum disciplinæ Christianæ detrimenta importet nõ leuia: hinc in Scholis nimia petulantia, in Ecclesijs irreuerentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco sese efferens impudentia, & penè proiecta audacia.

5. Quæ ad Matrimonium pert. §. eo.

Quare Episcopi, qui omni morum speculationi sanctè inuigilare debent, videant, ne grauiore offensione inde existant: proinde, & cum Magistratibus, & Curionibusve agant, ut aliqua inita ratione ei rei occurrant: & præterea Sacerdotes aliquot vitæ probitate, castissimisque moribus præstantes, aliosque pios viros, & salutis animarum zelo accensos deligant, qui puerorû, scholas, sepe inuisant, mores, & vitam eorum perquirant, in Dei timore, officijque Christianæ institutionis illos contineant: idque omne cum parentibus, magistris, præceptoribusque agant.

Curentque, vt pius aliquis Ciuitatis locus, piæ Confraternitas id oneris suscipiat, quemadmodum alicubi fit, vt huius generis vagantes pueri colligantur, eorumque effrenatis moribus opportunè consulatur.

Quod si hæc non successerit, aliam omnem, quæ sibi potior videatur, rationem ineanat, ut puerorum effrenatæ libertati, quæ multa spiritalia incommoda parit, rectissimè occurratur.

Nullo verò modo patiantur, ut huiusmodi pueri Ecclesiam perturbent: quod ea maximè ratione præstabitur, si parentes, vel ij, ad quos id pertinet, liberos suos tenere ætatis, apud se teneant, secum ducant, eisque ostendant, pie, suppliciterque orare, & sacris interesse.

De fidei initijs à Parocho tradendis, & Scholis Doctrinæ Christianæ.

S Y M M A R I V M.

- 1 Parochi fidei initia quibus diebus pueros doceant: etiam si regulares sint. De parochijs, & c. num. 48.
- 2 Doctrinæ Christianæ sodalitas instituenda, ubi illa adhuc instituta, non sit 4.
- 3 Quibus locis ipsa sodalitas institui non poterit; quid agendum.
- 5 Instituta, instituendaq; quibus regulis utantur.
- 6 In pagis, & villis a parochiali istantibus, cuius cura, & auxilio constituenda.
- In Hospitalibus errigendæ. De piorum locorum adm. num. 32.
- 7 Clerici Parochum adiuent in tradenda Doctrina Christiana, & num. 6.
- 8 Doctrinæ Christianæ tradendæ, & percipiendæ ratio præscripta.
- 9 Ut illius ignorantia occurratur, quid præstandum.
- 10 Parentum, & dominorum negligentia, ut consulitur.
- 11 Quibus Confessarij remittere possint recitationem quatuor capitum Doctrinæ Christianæ.
- Doctrinæ Christianæ rudis in nulla Confratria adscribendus. Que ad sodalit. pert. num. 9.
- Mendici uagantes ad scholas Doctrinæ Christianæ ducendi, ut illa ediscant. De piorum locorum administr. 57.
- 12 Indulgentiæ eisdem sodalitatib. concessæ, a quib. & quâdo promulgandæ.
- 13 Scholæ ipse sepius uisitandæ.
- 14 Visitatorum quod officium.
- 15 Confessarij, & plures eisdem scholis constituendi.
- 16 Ob concionem a prandio habendam scholæ ipse non impediendæ.

1. de fid. init.  
& c. §. eo.  
Sess. 24. ca. 4.  
Ut quisque  
de Vit. & ho  
nell. cler.



PAROCHI singulis Dominicis, & alijs festis diebus, qui Ecclesiæ præcepto agi soleant, pueris singuli in suis parochijs initia fidei tradant; eosque ad obedientiam, primum Deo, deinde parentib. præstandam, erudiant, ac propterea a prandio stata hora, proprio campanæ sono, ad id munus assignato, ad Ecclesiam conuocandos curabunt.

- 2 Quo studiosius parochi in ea curam, quæ constitutione de fidei initijs,

initijs, à parochio tradendis, superiori Concilio, præscripta est, incum- 2. tit. 1. dec. 2.  
bant: id etiam curet Episcopus, ut in singulis diocesis suæ oppidis, &  
vicis Doctrinæ Christianæ sodalitas instituat, quæ in eo munere ip-  
sos parochos adiuuet. Cuius rei causa libellus, quem vnusquisque Epi-  
scopus in suæ Diocesis scholis, eo nomine institutis, adhibere pote-  
rit, iussu nostro edetur.

3 Quibus autem locis sodalitas eiusmodi institui non poterit, in ijs  
duo, tresve homines saltem deligantur, auctoritate grauiores, qui pro  
Christiana pietate, id sollicitudinis suscipiant; ut pueros, adolescenti-  
ve ad parochum inducant, à quo in Ecclesia illi fidei rudimetis im-  
buantur.

4 Quibus in oppidis, vicis, ac locis, quæ ad suam diocesium pertinet, 3. De scholis  
Episcopus has necessarias doctrinæ Christianæ scholas, & sodalita-  
tes, ut altera prouinciali Synodo iussum est, non adhuc instituit, illas, 5. eo.  
quàmprimum, & quàm diligentissimè institui curet, studeat verò  
quàmplurimos cuiusuis conditionis, status, & ætatis homines proba-  
tos, tum mares, tum fœminas, ijs scholis iam institutis, vel instituen-  
dis, adscribi, adscriptosque operam illis nauare, ut concessi Indulgentiarum  
muneris participes sint.

5 Eas verò iam institutas, vel in posterum, instituendas, scholas, &  
sodalitates, ad illas præscriptas regulas, dirigi curet, quæ iussu nostro,  
ad communem earum usum edentur in lucem.

6 Vbicumque in Diocesis pagis, aut vicis præsertim frequentiori- 4. de doctri.  
bus, quoniam ab Ecclesia parochiali aliquantulum ea loca distent, a-  
liæ ob causam Episcopus expedire censuerit scholas doctrinæ Chri-  
stianæ institui, erigivè, præter eas, quæ parochialis Ecclesiæ loco insti-  
tute sunt, Vicarij Foranei diligentia, & parochi cura quàmprimum il-  
læ instituantur, in Ecclesia, Capella, oratoriove illis propinquiori, aut  
commodiori; tum maximè opera, & adiumento Sacerdotum, & Cleri-  
corum quorumcunque illius pagi, uici, locive.

Si quando præterea in diocesi per pluuie vim, niues, aliamue tem-  
poris grauitatem, viæ, aut itineris difficultati adiunctam, ad eiusmodi  
scholas in parochiali Ecclesia, qui debent, conuenire difficiliter pos-  
sunt: eiusmodi Vicarij, & parochi cura sit, ut tunc in oratorijs, vel  
Capellis propinquioribus, aut saltem, si id non potest, alio honesto lo-  
co, per Clericum idoneum, seu per alios scholæ sodales, & vitæ, & do-  
ctrinæ Christianæ studio instructiores, aliqua tum tradende, tum per-  
cipiendæ, eiusmodi doctrinæ exercitatio fiat; ne ob ullam causam sta-  
tis diebus hoc institutum, atque pabuli spiritualis usus illis desit.

7 Clerici quicumque Dominicis, festisque diebus, qua hora in Cho-  
ro diuinis officijs concelebrandis obstricti non sunt, parochum, intra  
cuius



205b. 1. 11. 2 cuius parochie fines habitant, in Doctrinē Christianē scholis, vbi cum que loci intra fines illius parochie constitutus adiuoent, idque in Vrbe, & Diocesi ad prescriptum eorum, quibus id curę ab Episcopo datum erit, implere.

5. Quę ad p-  
dicat. ver. Dei  
& doct. Chr.  
pert. §. eo. 101

8. Ad salutem cum omnibus fidelibus admodum necessarium sit, Christianę fidei rudimenta scire, tum certę huius in primis prouincię populis, qui hereticis insitimi, nisi in fidei fundamentis firmi fuerint, ac stabiles, summopere verendam esse, ne fortę ab eis in aliquam impietatis, ac nefarię doctrinę fraudem facilius adducerentur.

Quamobrem nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, vt omnes, ac singuli Christi fidelis, in fidei Christianę rudimentorum, institutione erudirentur: sed cum parum nos hucusque profecisse tantis in te cognouerimus; negotij periculi que magnitudine adducti, hęc preterea decernimus.

Primo omnibus, singulisque animarum curatoribus, & ceteris Confessarijs siue Secularibus siue Regularibus, in virtute sanctę obedientię id precipimus, vt faciant, antequam confessiones audiant, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, & Decę precepta Dei, quę Decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, aut ipsis audientibus referant. Quam rem si quos ignaros, rudelque offenderint, hanc eorum spiritualem sollicitudinem acriter reprehendant, ostendantque quā gravis esse debeat illorum conscientię ignorantia rerum, quę ad salutem tantoperę necessarię sunt. Cum autem eos absoluant, preter alias pœnitentijs, et actiones satisfactorias, id etiam imponant, ut quatuor hęc saltem potissima Doctrinę Christianę capita, in posterum accuratę ediscant, certo illis, pro arbitratu suo prefnito congruo tempore, quod tamen ob necessariam aliquam causam semel, aut ad summum iterum prorogari liceat. Eo autem temporis spatio confecto, si eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confessionem audiant, nisi Consilio, & assensu, aut Vicarij Foranei, si Diocesi sunt, aut illorum, quos huic curę in Ciuitate Episcopus prefece- rit, si in Ciuitate viuunt. Si qui verõ semel ita admissi ad Sacramentũ pœnitentię, eos postea, in rudi hac, trallaque ignorantia perflere cõ- perum erit, de ijs ad Episcopum ipsum referatur, antequam amplius admittantur, qui illorum saluti, diligentius, & efficacius consulat, vt viderit in Domino expedire.

9. Quo facilius porro perniciose huius ignorantie incommoda occurrant, neque aliqua fideles excusatione suam negligentiam prete- xant, illud eisdem animarum curatoribus mandamus, ut die festo, vel intra Missarum solennia, vel in Vesperis, aut paulo ante, si frequentior tunc fidelium multitudo presens in Ecclesia aderit, clara voce, cum di-

2110

fertis,

fertis, distinctisque verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, modo unum, modo alterum, aliquando plura ex ijs præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, prout opportunius sibi videbitur, recitent: simulque uniuersos, qui aderunt, hortentur, ut eadem verba, quibus ipsi præbunt, illi simul referant.

Et verò, quo populus doctrinæ Christianæ præceptis atque institutis in dies instructior fiat; iidem parochi illo tempore, nunc unam, nunc alteram eorundem quatuor illius doctrinæ capitum partem studiosè explicent. Qua in re Catechismi Romani, aliorumque probatorum authorum, qui in hoc genere, piè, diligenterque versati sunt, doctrinam potissimum sequantur.

Nec verò propterea, quæ nunc decernimus, quicquam detractum, derogatumve sit, quominus tum qui pro captu suo apti sunt maiori eruditioni, aut pro ratione status sui explicatius, & plenius uniuersam doctrinam Christianam discere debent, præstent, quod debent; tum parochi, alijque ad quos illam docere spectat, cumulatè præstent quæcumque in hoc genere olim decretum est ab illis præstari debere, & reliquas præterea omnes sui muneris partes.

10 Porro confessarii grauissimam pœnitentiam imponant, itemque concionatores diuinam ultionem denuncient, & patribus familias, & dominis, qui nulla, aut saltem parua diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, ut sui liberi, ad famuli Christianam doctrinam addiscant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus saltem festis vacui temporis concedunt, quo in Ecclesijs, aliâque loca pia, ubi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam conuenire possint.

11 Quo faciliorem executionem habeat decretum in Concilio Provinciali Quinto editum, de quatuor præcipuis illis doctrinæ Christianæ capitibus confessario, ante confessionem à pœnitente recitandis, nos decernimus, & declaramus Episcopi iudicio, & prudentiæ hoc permistum esse, ut certis confessarijs, quibus concedendum esse ipse censuerit, concedat, detque facultatem, qua illam fidei rudimentorum recitationem eo Provinciali Concilio decretam, ac præscriptam possint pœnitentibus aliquando remittere; quos certo sciunt illa capita rectè nosse; & ijs maxime, quibus pœnitentiæ sacramentum frequentius ministrabunt. At verò illud confessarius cateat, ne eius recitationis munus illis condonet, quos certo non scierit fidei rudimenta memoriter tenere, ac rectè nosse. Verum cum illis, qui ea ignorant, agat ad præscriptum eiusdem Concilij Quinti.

5. Que ad pœnit. sacr. pert.

C Quo

3. de Schol.  
doc. Chr. §.  
co.

12 Quo maior in dies concursus, & progressio fiat ad doctrinā Christianā scholas, ad earumque studium vehementias excitentur iam institutæ, & in posterum Deo iuante, instituendæ eius rei nomine sodalitates: Indulgentiarum, quæ & à Pio V. & nuper à Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. earum sodalitatē hominibus concessæ sunt, donum quotannis per parochos duobus ante Calendas Maij diebus Dominicis proximis promulgetur, cum frequens populus adest. Illis autem constitutis Calendis, earum sodalitarum homines, ut Indulgentias consequantur, confessi, Sacram Eucharistiam sumant; ac processionem præterea agant solenni ritu. Si verò sæpius id promulgari, vel alijs potius certis diebus hæc ab illis agi, Episcopus censuerit, id constituat arbitratu suo.

3 Ibid.

13 Scholas præterea quàm sæpius visitari, tum ab earum præfectoris, tamen ab alijs etiam iubeat, quibus id negotij dederit. Ijque diligenter ei referant, cum de omni instituta earum ratione frequentiaque illorum qui conveniunt, tum de reliqua earundem sodalitarum spirituali progressionē.

Ibid.

15 Eisdem, quo plures poterit, constituat Confessarios Sacerdotes, & in concionibus habendis exercitatos, quorum & ministerio adiungatur, & salutaribus monitis, cerebrisque cohortationibus inflammentur in dies magis, ad illud scholarum, & piarum exercitationum institutum, atque studium.

16 Si quam aliquando concionem sacram à prandio populo haberi contigerit ei certa hora ab Episcopo statuatur: ita ut neque concionator a doctrinā Christianā scholis, neque hæc ab illo impediatur.

De Præbenda Theologica, & lectione Sacra scripturæ.

S V M M A R I V M.

- 1 Præbenda Theologica quibus in Ecclesijs constituenda: cuique illa conferenda. 2.  
Theologica, pænentialique præbenda uacante, a quo proponendum edictum: & cui conferenda. De edicto proponen. num. 5.
- 3 Theologalem præbendam obtinens, que legat, & ubi doceat.
- 4 Consultus de Theologiæ questionibus, gratis respondeat.

Qua



1 VAE Ecclesiæ Cathedrales, aut Collegiatae in oppidis insignibus præbendam, aut stipendium quouis nomine Theologiæ interpreti assignatum non habeat, cum in illis Sacrum Concilium Tridentinum præbendam primò uacaturam, ad hunc usum constituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per se præstandum idoneus sit, deferri uoluit; id si adhuc re ipsa effectum non sit, curent Episcopi, ut quamprimum decreto Concilij satisfiat.

1. de præb. Theo. §. eo. Sess. 5. c. 1. de Ref.

2 Quicumque præbendam Theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia auctoritate, ratione institutam, in Cathedrali, Collegiatisue Ecclesijs obtinet, is, & quæ Sacramentum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præstet; ita ut etiam si expedire censuerit, & in Seminario, & in alijs Clericalibus, Sacerdotalibusue Collegijs doceat: in Basilica uero Cathedrali saltem die festo semper sacrâ scripturam publicè interpretetur & exponat; nisi aliquando aliud iusserit Episcopus.

5. Quæ ad benef. collat. attinent.

3 Idem ab Episcopo, aut ab alio consultus, Theologiæ questionibus alijsue eius generis gratis respondeat: ceteraque denique omnia præstet, quæ pro susceptu muneris ratione ab eo præstari debere idem Episcopus censuerit.

De Prædicatione uerbi Dei sacrifue concionibus.

S V M M A R I V M.

- 1 Prædicatio præcipuum Episcopi munus, & quando illud exercendum. De Missa, & Vesp. Pontif. num. 2.
- 2 Impeditus per quos alios id præstet.
- 3 Ipseque tunc concionibus intersit.
- 4 Quo tempore habendæ conciones. 4.
- 4 Parochi quo tempore omnino prædicent; etiam si Regulares sint, & de parochijs, & c. num. 48.
- 5 Si rudes qua ratione prædicandi munus expleant.
- 6 Doctrina, & progressus eorum ut probandi.
- 7 Negligentium, & contumacium pœnæ.
- 8 Inhabilibus quando coadiutores dandi.
- 9 Parochi quid præstent, ut officio concionandi satisfaciant.
- 10 Ultra parochi officium, quando ab Episcopo per Diocesim mittendi prædicatores, & a quibus excipiendi.

Prædicandi ratio concionatoribus proposita.

Episcopus  
 Parochus, & Alij } quo ritu, & ratione utatur in habendis concionibus.

- 11 Concio noctu non habenda.
- 12 Eo intra Missarum solennia Evangelia scilicet recitata habenda.
- 13 Concionis tempore Missa non celebranda, hora Canonice non recitanda, neque eleemosina querenda, & de Concionatoribus, num. 26.
- 14 Episcopo concionante ab alio nemine concionandum.
- 15 Parocho sermonem habente a populo non discedendum.
- 16 Conciones sacre à Canonicis, & clericis, ac laicis in sua parochia parochio monente audienda. 17. & 18.
- Concionibus quo vestitu Clerici intersint. 17.
- 19 Iis audiendis loca mulierum sint distincta.
- 20 Ad eam audiendam, que preparatio.
- 21 Ut ex ea salutare fructus capiantur, quid docendum a parochio.
- 22 Eius recte audiendæ modus traditur, eaque absoluta quid agendum, In Missa Conventuali cōgregationum Foranearum habendi. De Vicarijs Foraneis. 8.
- Indulgentiæ celebrantibus, & convenientibus ad ipsam Missam cōgregationum Foranearum euidandæ. De Indulgentijs. 17.
- In funere qualis habenda concio. De funeribus. 35.
- Ad Iudeos, ut etiam habeatur. De Iudeis. num. 25.
- Ut conciones in urbe, vel oppidis rusticantibus audiantur certis temporibus, & festis solennibus, parochi cura. De Sanctæ Eucharistiæ in Eccle. administr. num. 4.

1. de prædic. 1.  
 ver. dei. §. eo.

Sess. 5. c. 2. ref.  
 24. c. 4. d. Ref.

1. Ibid.

Sess. 5. cap. 2.  
 Conc. Later.  
 sub Inn. 3. c.  
 10.



POSTOLI, in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperiunt, verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in Episcopali sede collocantur.

Quamobrem nos auctoritatem sacrosancti Tridentini Concilij, & veterum patrum sequuti, in Domino Episcopos hortamur, ut toto pectore

in hanc curam incumbentes, greges tibi commissos ipsimet, præsertim in Ecclesia sua, verbo Dei pascant.

Quod si levi de causa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, sciant sibi prætermisisti necessarij officij ludici Deo præcipue rationem esse reddendam.

2. Sin autem se interdum, verè impeditos cognoverint, per viros idoneos, ex præscripto eiusdem Concilij Lateranen. deligendos, hoc

hoc munus studiosissime populo prestant.

Episcopus, si verè, legitimèque aliquando impeditus, in Cathedrali Ecclesia prædicationis munus per se ipse præstare non potest, ut ceterè Concilii Tridentini sanctione decretisque provincialibus debet, id per alios, qui idonei sint, ex eorum decretorum præscripto præstet impensis scilicet suis, nisi inmemorabilis consuetudinis est, eas ipsas impensas ab aliis illo prædicationis nomine fieri.

3. Episcopi ijs diebus, quibus legitimè impediti prædicandi munus in suis Ecclesiis, per alios præstabunt, eisdem sacris concionibus, quantum poterunt, interesse studebunt.

4. In alijs verò Ecclesijs parochialibus, vel aliam curam animarum habentibus, saltem omnibus Dominicis, & solennibus diebus festis, ieiuniorum autem Quadragesimæ, & Adventus tempore, quotidie, vel ijs saltem diebus, quibus Episcopus iusserit, proprio paroco, & curato, oves sibi commissas, pro earum sensu, & intelligentia, salutaribus verbis pascendas mandamus.

5. Si qui autem propter infirmitatem id præstare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias sibi præscriptas, vel Latinos sermones authoris, ab Ecclesia recepti, in linguam vulgarem conversos, approbatos tamen ab ordinario, aut memoriter, aut de scripto pronuncient.

Id autem tamdiu fiet, quoad liber Homiliarius ad hunc Curatorum usum Metropolitanæ cura prodibit in lucem.

6. Sed ut norint Episcopi, & eorum industriam, qui Doctrina sunt præditi, & illorum diligentiam, qui aliorum verbis diuinam legem enunciant, iubeant, si eis ita videbitur, ab vnoquoque paroco, & Curato, unum singulis mensibus, ab eo habitum in Ecclesia sermonem ad se mitti.

Eorum autem in pascendo populo verbi Dei prædicatione, industria, & doctrina, & in eo genere salutaris progressus ab Episcopo cognoscatur, vel illis in Episcopales sedes, aliove, aliquando coram se ad concionandum, euocatis, vel etiam ex sermonibus, quos habuerint, aliquando ad ipsum Episcopum missis, ut provinciali Decreto olim sancitum est, vel alia omni ratione, quam inierit idem Episcopus.

7. Qui negligentes, aut contumaces fuerint, eos Ordinarij arbitrio suo puniant; & præterea alios deligant, qui eorundem impensâ opus illud explere possint; donec ipsi respiscentes, munus suum expleant.

8. Quo etiam modo illis occurrere poterunt, quos etiam, vel peritorum industria, vel homiliarium libris, uel alia quacunque ratione

5. Quæ ad prædicationem verbi Dei &c. §. eo.

1. Ibid. §. eo.

Sess. 5. c. 2.  
Sess. 25. c. 4.  
Conc. Maguntiacum c. 25.  
Conc. Later. sub Inn. 3. ca. 10. c. inter cetera, de offic. ord.

4. de ver. Dei præd. §. eod.

1. Ibidem.  
Sess. 5. c. 2.

adiutos, parum proficere; quosve ei muneri minus aptos esse, vel prædicatione destruere potius, quàm ædificare iudicarint.

4. de ver. Dei  
prædic. §. eo.  
Sess. 5. c. 2.

Parochis non idoneis ad munus suum obeundum in pascendo sibi commissum populum verbo Dei, coadiutor eo in onere sustinendo, tum toto temporis, anno, ut est à Tridentino Concilio sancitum, & primo etiam prouinciali nostro, Decretum, tum maxime in Quadragesima detur ab Episcopo: cum ea mercede, aut elemosina, ad eius sustentationem à parcho persoluenta, quæ eidem Episcopo videbitur congrua. Vide tamen, de concionatoribus, §. Populus.

4. Ibid. §. eo.

9 Parochi præterea, ut & concionando, & docendo fideles, sibi commissos, salutaribus institutis, sanctaque disciplina instituere possint; eos sibi libros, cum per facultates possunt, comparare studeant, quæ à probatis authoribus piè, & doctè conscripti viam, & rationes aperiunt, partim ad sanctissimam sacrarum litterarum explicationem, optimamq. concionandi normam; partim ad spirituales vitæ institutionem, virtutumque Christianorum exercitationes; tum denique ad parochialis Ecclesiæ curam, sanctè, & religiosè gerendum.

1. de prædic.  
v. Dei. §. eo.  
Sess. 24. c. 4.

10 Extra urbem verò in vniuersa Dicecesi, præter officium, quod Curati præstabunt, tam multos distribuant Episcopi concionatores, ut in Curatis Ecclesijs, quæ in frequentioribus vicis sitæ sunt, cæterisque omnibus etiam non Curatis, in quibus ipsi opportunum iudicauerint, intra cuiusque mensis spatium, saltem semel in aliquo die festo Dei verbum prædicetur; Eos autem ab illis, in quorum Ecclesijs prædicabunt hospitio recipi volumus, suppeditatis omnibus rebus, ad eorum victum necessarijs, data etiam elemosina aliqua ex fructibus beneficiorum, vel etiam largitione laicorum, si beneficia tenuiora iudicauerint Episcopi, quam ut id onus ferre possint; nisi sint, qui iure debeant, vel dare consueverint. De hoc vide etiam in titulo de Concionatoribus.

Sacra concio  
ne noctu nisi  
quam, sed op  
portuno tẽ  
pore Episco  
pi præscripto  
habeatur.  
4. de ver. Dei  
prædic. §. eo.

11 Curent Episcopi, quod ueteris Ecclesiæ instituti est, sermonem, sacramue concionem vbique intra Missarum solennia potissimum haberi, siue ab illo eodem Sacerdote, qui Missam tunc celebrat, canitue, siue ab alio habeatur: idque præterea, etiam si Missam sacrificiū pro mortuis fiat: nisi sermo aliquando Episcopi concessu de mortui laudatione in Ecclesia habeatur, qui nullo modo in Missa, sed ea peracta, pronuncietur.

Cum verò concionis, sermonisve munus in Missæ Sacrificio præstatur, id fiat semper statim, postquã Euangeliū recitatū est, ut Ecclesiastici ritus ratio postulat, non in alia Missæ parte, aliove tempore.

Dum

13 Dum concio habetur, nec Missæ, aut horæ Canonice, clara, aut submissa uoce in ex Ecclesia dicantur,

Dum vel Episcopus, vel parochus, vel alius sermonem concionemue habet, ne eo ipso tempore, in Ecclesia, ubi habetur, in eiusue aliquo facello, aut in alia eiusdem parte, ac ne in ea quidem, quæ subterranea, Scuroli nomine vocatur, Missæ Sacrificium ab ullo quouis Sacerdote fiat.

14 Quod à Clemente V. Pontifice Maximo in Concilio Viennensi de prædicatione verbi Dei constitutum est, id omnis Ecclesiastica ratio suadet ad usum, vel reuocari, vel introduci. Qua igitur hora Episcopus, cuius præcipuum munus est prædicationis, id officium præstat, ne quis alius, cuiuscunque ordinis est, illa ipsa hora, in ea vrbe, oppido, vico, locoue, ubi ille prædicat, etiam in Ecclesia regularium, aut aliàs exempta; sermonem, concionemue habeat, nisi facultate ab illo impetrata.

15 Quoniam parochus concionante nonnulli, parum salutis sue memores, cum ad illius concionem conueniunt, sepe discedunt ea non absoluta, ideò debiti in hoc genere officii sui eos crebro Parochus admonet, prout necessarium esse uiderit. Quod si quos aliquando monitos ex verbi Dei, uel parochi concionantis contemptu in contumacia perseuerare animaduernerit, illos ad Episcopum deferat, qui pro culpæ grauitate eosdem afficiat, tum aliis pœnis, tum si opus est, Sacramentorum communione priuet, ad Carthaginensis Concilij præscriptum.

16 Qui uerò dignitates, personatus, vel Canonicatus in Cathedrali Ecclesia obtinent, & alij eiusdem Ecclesiæ Clerici, Dominicis, ac festis solennibus diebus semper; Quadragesimæ autem, & Aduentus tempore quam sepiusimè verbi Dei conciones in eadem Ecclesia audiant. Quod officium à ceteris quoque ciuitatis clericis præstari diligenter curabunt Episcopi, ut ipsorum exemplo laici etiam ad audiendum uerbum Dei studiosius confluant.

17 Superiori Concilio iustum est, Canonicos, & alios clericos sacris concionibus interesse, quod cum ab eisdem non ita præstetur, ut debet, pœnis propositis, id efficiendum censuimus, quod iussu, & cohortationibus non potuit. Quare Canonici Cathedralium, tum Collegiatarum, etiam Ecclesiarum, & reliqui præterea clerici si tempore Concilij superioris constitutione præscripto, non interfuerint sacris concionibus, aut ad eas sacrarum litterarum interpretationes lectionesue non accesserint, quas ipsis Episcopus præscripserit, mulctentur eiusdem Episcopi arbitrari.

17 Canonici, & alij item dignitate præditi, ac reliqui præterea

Clem. Dudū de sepult. Ibid.

3. Quæ ad Conc. pert. Seco.

C. Sacerdotes de cens. dist. 1. 1. de Prædic. verbi Dei, §. Episcopi ver. Qui uero.

2. Quæ ad Missa, &c. de cr. 27.



4. de ver. Dei  
pred. §. fi.

1. Quæ pert.  
ad celeb. Mis.  
sæ. Sess. 24. c.  
4. de Refor.

1. de prædic.  
verbi dei.

5. Quæ ad  
pd. ver. Dei  
&c. §. eo.

quicumque sint, cuiusvis Ecclesiæ Clerici cum in sua Ecclesia, concionibus, lectionibusve sacris interfunt, superpelliceis, coque clericali, Canonicalive habitu, quem in Choro Canoniarumque horarum officijs obeundis uestiunt, induti omnino sint,

18. Moneantque eum diligenter, debere unumquemque, ut à Sacra Tridentina Synodo traditum est, in parochiam suam, ubi id fieri commodè potest, convenire ad audiendum verbum Dei.

19. Conciones audiendæ causa, loca virorum, & mulierum si fieri potest Episcopi cura distinguantur, qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat, & à secularibus magistratibus, si opus erit, auxilium petat.

20. 21. Magna in verbo Dei vis inest ad commouendos animos, si qui audiunt, ita se instituunt, atque adeo parent, ut vilitèr audiant. Parochi igitur sæpè moneant, ac doceant, quo scilicet modo fideles salutares vilitates, spiritaliaque emolumenta, & fructus vberitimos è Sacra Concione capiant.

22. Doceant igitur hæc in primis. Ut cum quis ad verbi Dei concionem accedit, non concionem profanam, sed Sacram, religiosam, sanctæ disciplinæ institutis, exultantem, atque charitatis studio elaboratam, se auditorum putet; proindeque persuadeat, se à Deo, qui concionatoris ore tunc sancti loquitur, salutaribus præceptis, consiliisque erudiri ad optimè agendum.

Ut in Ecclesiam ingressus, hæc à Deo precetur, primum sibi peccata remitti, tum etiã sibi aperiri aures cordis, ut audiat, oculosque mentis, ut videat, agatque adeo ad instituendam vitæ rationem, & vsum accommodet quæ concionator enunciat.

Ut firma, fixaque animi deliberatione statuat, se velle perficere, atque exequi, quæcumque in ea concione sibi dicta putauit.

Ut quæ è concione audierit, ne planè ad alium quemquam, sed ad seipsum omnino referat.

Ut animo nõ uanè distracto, sed collecto, atque attentissimo concionatorem, tanquam eum, qui Dei verba, non sua pronunciet.

Ut neque eloquentiam, neque actionem, artemve concionantis spectet, aut admiretur, eiusque sermone, tanquam carmine musico, inquit propheta, quod suavi, dulcique sono canitur, tantum oblectetur, ita ut verba audiat, & non faciat ea: sed totus in eo sit, ut diuini uerbi spiritum hauriat, quo incensus, quæ audierit, studiosè efficiat, atque exequatur.

Ut dei verba, quæ è concionantis ore exeunt, non solum aurium sensu, sed intelligentia, menteque ita religiosè percipiat, ut animi volun-

voluntatem, ardentemque affectum simul accendat ad omne sancte agendi officium.

Ut concione absoluta, si modo ibi moraturus non sit, quod ad Missae solennis sacrificium peragatur; ne tamen statim de Ecclesia abeat, sed in oratione paululum consistat; tum verbi Dei, quod audierit, precipua capita, quae praesertim sibi conveniant, tacita cogitatione secum repetat, rationemque certam concipiat, atque inerat, quae res tam salutare recte exequi possit.

Ut de templo à concione, orationeque egressus, ne de concionante intemperanter loquatur, ne temere iudicet. Ne rursus ad inanes confabulationes, profanaque colloquia se conferat, ut ne effluat, quod & audiendo, & meditando castè, sanctè, concepit.

Immo verò amicis obuiam factus, cum illis salutaria instituta, quae concionator explicavit, studiosè, & opportunè communicet.

Domum reuerfus, familiam item saepe commonefaciat, quae de sanctae vitae institutione ab eo accepit.

*Quae in hoc Titulo desiderantur, vide in Titulo sequenti de Concionatoribus.*

**De Concionatoribus, siue Episcopi, siue Parochi, siue alij quicumque sint, etiam regulares.**

**S V M M A R I V M.**

- 1 Concionatores fidei professionem faciant. De profess. fid. nu. 11.
- Illis praedicandi ratio proposita.
- Ut sacram scripturam Catholicè interpretentur.
- 2 Et allegorijs tantum approbatis utantur.
- 3 Ut Antichristi, extremique iudicij certum aduentum non praedicent.
- 4 Et historias ex apocryphis scripturis non narrent.
- 5 Ut miracula falsa non referant.
- 6 Ut fabulas non recenseant.
- 7 Ut haeticorum argumenta omittant.
- 8 Quando, & qua ratione referant.
- 9 Ut res dubias, & obscuras vitent, &c.
- 10 Ut inanes quaestiones fugiant.
- 11 Et Evangelium, Symbolum, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Decem precepta, Ecclesiae Sacramenta, Et sacros Ritus explicent.
- 12 In reprehendendis vitijs, ut se gerant.

*Prauas*

- 13 Pravas consuetudines reprehendant.
- 14 Cum Prelatis, & Magistratibus, quales se ostendant.
- 15 Populum, ut doceant, & moneant.
- 16 Vniuscuiusque munera ostendant.
- 17 Virtutumque officia demonstrant.
- 18 Quae vitia euellenda, quaeque virtutes disseminanda, certificentur.
- 19 Concionatoribus, ab Episcopo, loci Parocho, Vicarioque; foraneo, morum corruptela loci, quo mittuntur, significanda &c.
- 20 Concily Tridentini decreta, populo incidant.
- 21 Ecclesiae praecepta seruandi modum doceant.
- 22 Consilia amplexanda commoneant.
- 23 Bonis, ut utendum sic, doceant.
- 24 Ipsorum Concionatorum vita, qualis.  
Quales item Concionatores Monialium. De Concion. Monial. num. 1.  
Cum Monialibus colloqui non licet, ibid. num. 2.
- 25 Indulgentias populo non publicent.
- 26 Nemine paupertatis nomine commendent: neque permittant, ut a quoquam illa petatur; & quid seruandum, ubi licentia pauperi concedatur.
- 27 Pecuniam collectam, quando faciant pro se, aut alijs.  
Qui doctrinam Christianam Iudeis praedicent. De Iudeis, num. 25.  
Qua forma utantur in Saluatoris passione exponenda. De actionibus & represent. num. 2.
- 28 Episcopus, quo ritu, & ratione utatur in praedicando: quique illi assistant.
- 29 Parochus item, & alij quem modum obseruent.
- 30 Suggestum, quando concionaturus ascendat: in eoque ut stet.
- 31 Episcopus } sacrum Euangelium tractaturus, librum ante se habeat.  
Parochus } re potest.
- 32 Si Episcopus fuerit, quem ministrum adhibeat.  
Episcopus } anniuersaria mysteria, cultu, caeremoniarumque  
33 Parochus } significationes dierum solennium populum.  
Alijque Concionatores } stas iisdem diebus doceant.
- 34 Supplicationum Iubilaeorum agendorum causas explicent.
- 35 Festis, Dominicisque diebus proximè antecedentibus idem praesent.
- 36 Ieiunijs Aduentu, & Septuagesima, instantibus idem faciant praesentur.
- 37 Pentecostes diebus, de Sacramento Chrismatis, populum instruant.
- 38 Instructio ipsa, qualis.  
Indulgentiam concessam accusantibus blasphemus, saepe denuncient.  
De blasphemia, num. 7.

Quas Constitutiones cohortationibus adiument. De iurisdictione Episcopali, num. 10.

Feria sexta hebdomadae Sanctae Crucis effigiem de suggestu proponant. De ratione diuini off. 61.

Concionemque habeat post recitatam Domini passionem. Ibidem.

39 Concionatores regulares in Ecclesiis suorum ordinum predicare non possunt absque licentia suorum Superiorum, & Episcopi benedictione. 42.

Contrafacientes puniantur. 43.

40 Neque in Ecclesiis alijs absque Episcopi licentia, idque Parochi cura.

41 Concionandi facultas, etiam in loco exempto ab Episcopo impetranda.

Benedictio Episcopalis petenda.

43 Concionatorem deligendi Episcopi cura.

44 Concionator examinandus, & à quo.

45 Concionandi facultatis, susceptive benedictionis litteris Concionatorum instructiones describenda.

Concionatorem quis excipiat. De predicatione Verbi Dei, nu. 10.

46 Ad eius sustentationem, qui compellendi.

Concionandi causa examinati, in libros à Cancellario referendi an probati, improbativè sint. De Cancellario, & Notarijs, num. 30.

**I**S autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Christianam doctrinam tradendi, munere funguntur, hanc viam, & rationem ineundam proponimus.

Primum, de prædica. ver. Dei, §. cod.

Ut sacram Scripturam interpretentur eo sensu, quem Catholica Ecclesia, & consentiens Sanctorum Patrum auctoritas comprobavit;

neque quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiae probatis alienum proferant.

1 Ut, si quando ad auditorum utilitatem utendum erit allegorijis, eas ex receptis ab Ecclesia scriptis feligant.

3 Ne certum tempus Antichristi aduentus, & extremi iudicij diem prædicent: cum illud Christi Domini ore testatum sit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta. Neve quidquam præterea futurum ex sacris litteris diuinare, eique eventui certam diem præfinire audeant. Neque temerè, id sibi diuinitus reuelatum esse, affirmant.

4 Ne historias, ex apocryphis scriptoribus populo narrent.

5 Neve miracula, quæ probata Scriptoris fide non comendentur, si quæ tamen auditoribus salutaria iudicant; ita commemorent, ut à certa

certa

cetta eorum affirmatione abstinere. *at rodos rnoiruisno? un?*  
 6 Ne ineptas, & ridiculas fabulas recenseant: Neve superuacanea,  
 & parum fructuosa.

7 Ne hereticorum opiniones, & argumenta referant apud imperi-  
 tam multitudinem.

8 Quod si alicubi necessitas postularit, ut eorum falsa dogmata accu-  
 ratius, ac liberior confutentur, id non longa disputatione, sed graui re-  
 dargutione faciant, quod facile assequentur, si Catholicam veritatem  
 expromentes, sanctæ Ecclesiæ, Conciliorum, & probatæ veteris consue-  
 tudinis auctoritate, ac Sanctorum Doctorum, quos probat Ecclesia, te-  
 stimonijs roborant; & sacre Scripturæ locos, quorum sensus ab illis  
 ad corrupendas simplicium hominum mentes deprauantur, & ex  
 aliis eiusdem Scripturæ locis, & ex Sanctorum Patrum sententia fide-  
 liter interpretentur. Sic enim fiet, ut dogmatum perversitas, quæ falsa,  
 interpretatione nitebatur, Catholicæ veritatis vi, & recte interpretatio-  
 nis pondere corruat.

9 Ne quid ambiguum, ancepsveloquantur, quod auditoribus variè  
 intelligendi occasionem præbere possit. Neve concisè, & obscure  
 quidquam exponant, quæ ex re auditorum animi expectatione incerti,  
 & suspensè relinquantur.

10 Ne ostentantæ doctrinæ, & eloquentiæ causa, difficiles, atque ina-  
 nes quæstiones, sicut ve orationis, & pigmenta cõquirant, vnde sui ip-  
 sius potius, quàm Iesu Christi prædicatores esse videantur.

11 Sed præcipuè in Euangelij, Symboli, Orationis Dominicæ, Ange-  
 licæ salutationis, Decem præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, & sa-  
 crorum Rituum dilucida explicatione versentur.

12 In reprehendendis vitiis ita se gerant, ut pietatis, & caritatis stu-  
 dio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere om-  
 nes intelligant.

Diligentes, ac vehementes sint in ijs vitiis, & peccatis exagitan-  
 dis, in quibus magis uolutatum populum, aut ad ea procliuiorem  
 uident.

13 In prauas etiam Consuetudines inuehantur. Et in eas, quæ, etsi ma-  
 læ non videntur, tamen facile peccandi causam afferunt.

Ne quemque nominatim, aut tacitò illum designantes, insectentur.

Ne in ordinem ullum, statum, aut uitæ genus ab Ecclesiæ receptum,  
 inuehantur.

14 Ne Episcopos, aliosvè Prælatos, neve Ciuiles Magistratus cum au-  
 ditorum offensione asperius obiurgent; sed pie potius ad moneant.

15 Populumq; doceant, præpositis suis, etiam discolis obedire.  
 Quem etiam sæpius moneant ex Apostoli sententia, ut faciat ob-  
 secratio-

2. Tim. 2.

secrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt; praesertim verò pio iis, qui peruigilant, quasi rationem pro animabus eorum reddituri; ut quietam, & tranquillam vitam gerant, in omni pietate, & castitate.

Ita afficere studeant auditores, ut sua peccata dolenter desinant: quos interdum propositis supplicijs aeterni ignis, à flagitijs, & facinoribus deterreant; interdum cōmemoratis caelestis vitae prēmiiis, ad uirtutes, in primis uerò ad Dei, & proximi amorem accendant.

16 Omnes hortatu, & praecipis ad pietatem erudiant; & quae cuiusque sit propria virtus, quod officium patris, filij, uiri, uxoris, domini, serui, laici, clerici, priuati, Magistratus, omnium denique aetatum, generum, ordinum, partes, & munera, assidue cōmemorent.

17 Verbi Dei praedicatione, tractatione multiplex illa quidem, & magna, nos hoc admonet, ut praeter illa, quae superioribus Concilijs nostris Provincialibus eo de genere constituta sunt, haec etiam pro dignitate rei, proque utiliori, ac faciliiori illius muneris praestandi ratione decernamus.

Illud proprium, ac peculiare sit, non solum Episcopi, sed etiam parochi, genus docendi, ut beati Pauli Apostoli exemplo sigillatim cuiuscumque status homines, uterque instruat, & praecipua uirtutum officia demonstrat; modo filios, modo parentes, nunc seruos, nunc Dominos, nunc uiros, nunc uxores, nunc senes, nunc iuuenes erudiens, ac diligenter, quae cuique propria sunt, praescribens, paterna charitate, & sollicitudine, fideles sibi commissos, à uitijs deterreat: tum ad uirtutes accendat, & testimonijs diuinarum litterarum, & Sanctorum Patrum doctrina, atque exemplis, & sacris Ecclesiae traditionibus, & similitudinibus, & sanctioribus etiam figuris. Quod sanè officium, si graui oratione, & ab omni, uel artificij, uel hominis sua spectantis, suspicione aliena, tractabitur; maiorem inde fructum, iuuante Domino, fore sperandum est. Nec uerò minus in publicis sermonibus, quam in priuatis etiam colloquijs, & secretis confessionibus Apostoli praecipuum uterque implere studeat, arguendo, obsecrando, increpando, in omni patientia, & doctrina.

18 Id planè sibi proponat, optimè nosse, quae in populo uitia, peccata ue potissimum euellenda; quae rursus uirtutes in primis disseminandae sint; eoque intendat maximè omnem uim praedicationis suae. Nec uerò semel, atque iterum, sed sepe, prout uis uenerit, in eodem unius, uel uirtutis suadendae, uel uitij detestandi studio uersetur; quò ad, quantum in se est, perenni quadam doctrinae perseverantia; & perpetua quasi pugna, & contentione, id quod olim Sanctissimos Episcopos, Ambrosium, Augustinum, & Chrysostomum fecisse constat, fidelium animos, etiam

4. De uerb. Dei pd. §. co.

4. De uerb. Dei pd. §. co.

etiam in malè agendo penè obfirmatos, expugnet, deprauatosq; iuuen-  
di mores, iam inueteratos, radicitus iuuante Deo, euellat.

19 Quod ipsum, vt Concionator omnis præstet, atque exequatur cum  
ad aliquem locum mittitur; tunc, & Episcopus, & loci parochus, &  
Vicarius Foraneus, si ad locum Diœcesis mittitur, conquisitas, colle-  
ctasque paulò antè diligenter morum corruptelas, tunc frequentiores  
eò loci, vbi concio habenda erit, verbi Dei concionatori, tempestiue  
significabit: rursusque eundem admonebit, si quod pietatis opus est,  
quod in illa parochia, locove, eo tempore, vel institui, vel vehementius  
excitari velit.

Primū, ibid. 20 Decreta Concilij Tridentini, præsertim, quæ ad mores, & discipli-  
nam Christianam restituendam pertinent, & has nostras Constitutio-  
nes populo studiosius inculcent.

21 Hanc præterea rationem habeant, vt non solum Dei, & Ecclesiæ  
præcepta seruanda esse doceant; sed modū illis tradant, quò ea ex Dei  
voluntate seruare oporteat.

22 Commoncant, vt non solum præceptis seruandis, sed etiam con-  
silijs amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere  
studeant.

23 Doceant, quo modo vtendum sit bonis animi, corporis, & exter-  
nis: Quo ue modo secundis, & aduersis rebus, vt ea sint illis tamquam  
instrumenta, ad consequendam vitam cœlestem.

24 Maximè verò caueant, ne quod præceptis, & hortatu ædificant, id  
vita, & moribus destruant; ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi  
efficianur.

25 Indulgentias populo nè publicent, nisi de consensu Episcopi.

26 Neminem populo paupertatis nomine commendent: nisi is testi-  
monium ab Episcopo scriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur, vt elemosynam à quo-  
quam petat in Ecclesia: sed aut ad fores Ecclesiæ stet; aut per eos, qui  
eam curam susceperint, id negotium ita commodè, ac celeriter agatur,  
vt minimè concionem impediatur.

27 Concionator in Vrbe ne sine scripta Episcopi facultate pecuniæ colle-  
ctam inter concionandum proponat, faciatue neq; itidè in Diœcesi, sine  
Vicarij Foranei licentia. Liceat tamen concionatoribus Regularibus  
in eorum ecclesijs, absq; facultate illis tradita ab Episcopo, siue eius Vi-  
cario; sua Monasteria populo commendare.

Nec verò elemosynæ causa concionatori seipsum commendare  
liceat: ab alijs tamen pijs, honestisque hominibus eius causa de Epi-  
scopi licentia conquiri, & colligi vetitum non sit.

4. De verb.  
dei predic.  
§. eod.

28 Episcopus, cum in Missæ solennis sacrificio sermonem, aut concio-  
nem

nem habet, Mitra, Episcopali que sacro omni vestitu, quem in Missa adhibet, indutus sit.

Cui Concionanti, ministri Ecclesiastici, sacris vestibus ritè induti, septem, ut antiquo Canone iussum est, ubi potest, sin minus, pauciores, ab utroque eius latere assistant.

Ad sit etiam, vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel alius denique ad quem ex probato instituto spectat baculi pastoralis sustentatio, pluuiali indutus; qui ante ipsum à latere sinistro baculum manu sustineat.

Si uerò sermonem in Missæ sacrificio non solenni habet, sacris item vestibus, Missæ sacrificio dicatis, utatur, & mitra, & cum baculo item, ad sit minister. Et quæ assistant præterea ministri duo ad minimum, superpelliceo, aut si Canonici, uel dignitate præditi sint, suo in chori officijs stato habitu quotidiano induti; nisi pro alicuius celebritatis, solennis uel actionis, ac populi concursus ratione, aliis sacris uestibus eos amictos esse aliquando iusserit.

Id porro muneris obeat, sedens in medio altari, in saldistorio, aut in sede, loco eminentiori collocata, aut in cathedra Episcopali; aut etiam, suggestu, ambonè uel ascendat; ubi itidè sedes, & mitra item ornatus, ceterisque; ut supra adhibitis, comodiùs à populo cõspiciatur, & audiatur.

In alia uerò actione, quàm in Missæ sacrificio, aliove tempore, prout actio solennis, populivè frequentia est, sermonem ipsidem, ut supra locis, arbitrati suo, habeat, pluuiali, & mitra etiam indutus; adhibitis quoque, uel pluribus; uel duobus saltem; qui digniores aliis in Ecclesia sint, ubi de more illius Ecclesiæ Episcopo in sacris actionibus ij assistere solent, uel Archidiacono, & altero diacono, qui digniori loco sedet; aut demum duobus, ut Episcopo videbitur, canonicis diaconis, sacro diaconali amictu uestitis.

Quod si cappa Episcopali, & stola potius, quàm pluuiali, & mitra, uti maluerit; illi duo assistentes, non sacro diaconali amictu, sed & ipsi, & alij ministri, superpelliceo, aliove sui canonicatus, dignitatis uel in chori officijs insigni induantur: adhibeatur que præterea, non solum, qui pastorem baculum, sed alter et, qui mitrâ à dextero latere teneat.

Cum uerò sermonem, aut concionem minus frequenti populo, aut in actione minus solenni, uel in Ecclesia non insigni habebit; poterit rocchetto, & mozzeta indutus id præstare, stola etiam adiuncta.

Nec uerò propterea omittet; quo minus, si per temporis, & loci opportunitatem liceat, & assistentes, & alios ministros, ut supra adhibeat, cum insignibus Episcopalibus. Si quando autem tunc duo illi canonici, cum superpelliceo, uel cum indumento, habituve canonicali non assistent, ecclesiastici tamen ordinis homines aliquot grauiores, presentes adesse, conueniens erit.

Triplex



*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

Triplex porrò hæc ratio, vel pluuiali, uel cappa Episcopali, uel rochetto, mozzetaque cum stola utendi, cum sermonem non in Missæ sacrificio, sed in alia functione, aliove tempore Episcopus habet, non ita ei præscripta est; quia modo unam, modo alteram, modo tertiam, prout maluerit, & temporis, loci, personarumve ratio tulerit, adhibere possit. Nec præterea prohibetur ex tempore, ut aliquando usui uenerit, ubique etiam sine stola gregem suum uerbo Dei, & salutaribus monitis pascere pro munere suo pastorali; cum eius & dicta, & facta, quasi perpetuam quandam prædicationem ministrare, præbere uel debeant.

29 Parochi uerò, Præpositi, & alii, Episcopo inferiores, cum in altari id munus obibunt, tunc capite aperto stare debebunt, ad sacerdotalis libri præscriptum.

30 Quò autem facilius à frequenti populo audiantur, suggestum eos ascendere opportunius erit; tuncque casulam deponere, si maluerint, licebit: quam statim, sermone habito, ad altare reuersi, induant.

In suggestu concionem, aut sermonem, cum habent, aperto sint capite, & sedent, aut stent, prout maluerint.

Cum non is Sacerdos, qui sacrificium Missæ facit, sed alius intrâ Missæ celebrationem, sermonem, concionemve habiturus est, is suggestum ascendat: interea uerò sacerdos celebrans, loco à laicis segregato, & ab altari paululum remoto, non extrâ tamen capelle fines, in qua Missa celebratur, sacris uestibus indutus, cum duobus ministris, scilicet diacono, & subdiacono, si illi in Missa tunc adhibiti sunt, ab utroque latere confidentibus, sedebit.

31 Episcopus, parochusve, sacrum Euangelium, aut etiam Scripturæ sacræ partem, coram populo, etiam è loco superiori tractans, collocatū ante se aliquando, cum uiderit expedire, habeat euāgelij, aut sacræ scripturæ librum: de quo ipse, aut etiam minister, cum Episcopus est, per membra, clausulas, & sententias distinctè eiusdem Euangelij; sacræque Scripturæ uerba: quæ ipse scilicet, uel Episcopus, uel parochus concionando, quo ordine leguntur, sigillatim populo explicet.

32 Minister uerò, in hoc munere legendi, Episcopo Archidiaconus sit, uel diaconus canonicus, aliusve denique, quem Episcopus elegerit; isque ante illum capite aperto stans, de libro uerba distinctè pronunciet.

3. Quæ ad  
Cœcili. pert.  
§.co.

33 Anniuersaria festorum, solenniumque dierum quadam quasi uicissitudine, & stans pro solennitatum, temporumque ratione sacris ceremoniarum Ritibus Dei Ecclesia à Spiritu sancto instructa redemptionis nostræ mysteria, & sacras alias actiones in anno, tamquam uno libro descriptas, fidelibus proponit: qui si minus ad ea instructi sunt, nec quæ sancte,

sanctè, religiosèq; aguntur, intelligunt, non eum fructum, quem alio-  
qui perciperent, capiunt. Quò igitur diligentius illi instruantur, in-  
diesq; magis accenduntur ad publicas sacras actiones, & mysteria col-  
enda, quæ itatis anni solennitatibus, & temporibus Ecclesia Dei cele-  
brat; Episcopus tum ipse aliquando, tum Concionatores, & parochi,  
certis ijs diebus, quibus illa agi, celebrariuè contigerit, populum doce-  
ant, cum sacrosancta ea mysteria, tum religiosum eorum anniuersa-  
rium cultum, tum sanctiores statarum ijs colendis sacrarum cæremoni-  
arum, ac rituum rationes, & significationes.

34 Idem, cum solennes aliqua statarum processiones, vel alia supplica-  
tiones, aliqua publica causa indictæ, aguntur, vel Iubilæum in vniuersa  
Ecclesia indictum, celebratur; conciones ab eisdem habeantur: quibus  
præter cætera, explicetur causæ, quamobrem aut Iubilæum celebretur,  
aut illæ supplicationes fiant; tum excitentur, atq; admoneantur fideles,  
quàm religiosè incumbendum sit ei Sanctæ actioni, quidq; ab illis præ-  
standum, vt illius Iubilæi (spirituales diuitias ipsi consequantur.

35 Vt autem religiosa animi præparatione si solennes dies à fidelibus  
colantur; non satis illi id esse putent, mysteria illa à se sermonibus, con-  
cionibusvè ijs ipsis diebus, quibus celebrantur, explicari, sed festis  
etiam, aut Dominicis diebus eas sacras, vel solennitates, vel actiones  
proximè præcedentibus eosdem concionibus instruant, & eorum ani-  
mos, mentesque præparare, atque inflammare studeant, cum ad omnè  
religiosum mysteriorum, quæ sanctè aguntur, cultum; tum maximè pro  
solennitatum ratione, ad pœnitentiæ Sacramentum, & ad sacram Eu-  
charistiam sumendam.

36 Id verò etiam seruetur, cum stata ieiuniorum tempora, Aduentus  
Domini, Septuagesima, & eiusmodi instant.

37 De Sacramento, etiam Chrismatis populum instruant in illis Pen-  
tecostes diebus, quibus potissimùm ab Episcopo id Sacramentum so-  
lenniter ministrari solet.

38 Parochi autem id omne instruendū populi officium præstent ad  
prescriptum instructionis, quæ eo nomine cura nostra conficietur ad  
communem Prouinciæ vsum.

39-40 Ne patiatu parochus, cuiusuis ordinis Regulares in ordinis  
sui ecclesijs, intra fines parochiæ suæ sitis, concionè habere; nisi ex scri-  
pto testimonio perspexerit, eos, muneris eiusmodi in illis ecclesijs ob-  
eundi causa, se ad Episcopum cum concionandi facultate, quàm à Su-  
perioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse; & benedictionè, vt Triden-  
tino Concilio cautum est, ab eodem petiisse, neque itidem in alienis  
eiusdem parochiæ Ecclesijs; nisi, ibi concionandi facultatem sibi ab  
Episcopo literis concessam, illi ostendant.

3. quæ ad Cõ  
ciõ pti. 5. co.  
Sefs. 5.  
c. 2. de Refor.  
& ses 25. c. 4.  
de Regu. &  
Mon. scfs. 24.  
c. 4. de Refor.

D. Nein

6. Quæ ad cōcionat. pert. §. eod.

41 Ne in Monasteriis quidem, & locis, ubi Regulares spirituales, & temporalesque iurisdictionem habent, quisquam Ecclesiasticus homo, & Regularis exemptus, prædicationis munus obeat; nisi primum ab Episcopo probatus, intra cuius Diœcesis fines ea monasteria, locave sunt.

42 Regulares verò à suis Superioribus approbati, ac de eorum licentia in Ecclesijs suorum ordinum prædicaturi, antequàm prædicare incipiant, coram Episcopo personaliter cum ipsa licentia se præsentent, ab eo benedictionem accepturi: sine qua benedictione, aut Episcopo contradicente, prædicare non præsumant.

5. Quæ ad p̄di. & c. §. eo.

43 Si quis cōtrafecerit, ei pœnæ, & censure constitutæ sint, contra alios sancitæ.

Episcopi solùm sit, abrogatis quibuscumque contrarijs consuetudinibus, & priuilegijs, & in Ecclesia Cathedrali, & in alijs non modo iurisdictioni suæ subiectis; sed etiam in exemptis, quæ curatæ sunt, concionatorem liberè deligere, atque constituere. Idemque ad eum spectet in Regularium, etiam Ecclesijs, ubi, pro maiore commoditate, consuetudinis, morisque est, populi, Vniuersitatisve, aut pij loci, Scholæ, aut Confratriæ, etiam laicalis sumptibus, uel elemosynis, collectis, uel legato pio, aliave huiusmodi ratione quotannis certo stato tempore permissa Episcopi concionem haberi.

Nec verò illius deligendi, constituendive ius vlla ratione cōpetat, neque ipsis Regularibus, etiam per turnum, neque Vniuersitati, neque Magistratui, neque loci pij administratoribus Confratriæ, Scholæve, etiam laicali, nec alij cuiquam laico; etiam si ei elemosyna, alimentave è publico, aut è Confratria, aliove modo, ut supra suppeditentur, subministranturve. Quæ, ut nihilominus subministrantur, atque adeò persoluantur ab ijs, qui solent, aut alia quacumque ratione debent, omni appellatione postposita, Episcopus cogat, ut Concilio Prouinciali quæto cautum est.

vt inf. nu. 60.

44 Nemini autem concionandi facultatem concedat Episcopus; nisi præter alia, uel examine, uel alia ratione, pro arbitrio suo illius scientiâ, & peritiâ in eo munere probant.

vt inf. de Cōciō. examine. 3. quæ ad Cōcion. p̄ti §. e.

45 Quæ in Concilio Prouinciali primo, De prædicatione verbi Dei, & quæcumque item alia Cōcionatoribus à nobis præscripta sunt, ea, quò diligentius seruentur, illam cautionem adhibent vnusquisque Episcopus, ut cum eorum cuiquam in sua Diœcesi concionandi potestatem faciat, uel benedictionem impartiet, illa omnia, & alia eo de genere in nostram Concionatorum instructionem, ad communem Prouincie vsum simul redacta; & quæ item Episcopus Ecclesiæ suæ rationibus accommodata ab illis seruanda censuerit, illis litteris describi iubeat; quibus, uel concionandi facultas permittetur, uel præsentationis postula-

postulatęq; benedictionis testimonium fiet.  
 46 Populus, & Vniuersitas detrectans subministrare victum, ut antea  
 consuevit, Concionatoris solitamve eleemosynam ad eiusdem vitę tan  
 quam sustentationem, omni iuris ratione, etiam interdicti pęna ab Epi  
 scopo ad id compellatur. Vide etiam supra, num. 47.

4. De uerb.  
 Dei pđ. §. co.

Quę hic desunt, videantur in Titulo. De pędicat. uerbi Dei.

De examine Concionatorum, & sacre Scripturę  
 interpretum.

S V M M A R I V M.

Examinatorum officium in Concionatoribus approbandis, quale.

Quę ad Sac. ord. pert. 46.

1 Concionatores, & sacre Scripturę interpretes, de quibus interrogādi.  
 Sacre lectionis interpretandę causa examinati, in librum a Cancellario  
 notandi, an probati, reprobati uē fuerint. De Cancellario. 30.

1 **A**M est locus examinis Concionatorū, & sacre 5. Ibidem.  
 Scripturę interpretum, a quibus hęc queratur.  
 Primò de doctrinę articulis, dogmatibusve  
 Concilio Tridentino explicatis, utpotè de Canone  
 Scripturę; de peccato originali, de iustificatione,  
 de Sacramentis, & generatim de sacrificio Missę,  
 de Purgatorio, de Inuocatione,

& ueneratione Sanctorum, de Sacris reliquijs, de Imaginibus Sanctorum,  
 de Indulgentijs, potestate, & auctoritate Pape; de Ieiunijs, de diebus  
 festis, & reliquis multis.

An p̄terea habeat reliquos Theologię notos, & tractatos locos.

Quem in Scholasticis p̄sertim auctorem familiarem habeat.

An sapius Sacrorum Bibliorum volumina, cum glossa, alioue com  
 mentario studiosè euoluerit: anque in iis ipsis ita diligenter uersatus,  
 ut inde locos facillè, apteque promere possit ad omne sacre tractatio  
 nis genus.

An Sanctarum interpretationum usu literatè peritus.

An ex antecedentibus, & consequentibus uerum Scripturę sensum eli  
 cere norit: anque item ex Euangelistis, in eodem narrationis genere  
 uersantibus.

An rursus temerè, pro suoque libito sacram Scripturam ð uero sen  
 su detorqueat.

An tropologicos, moralesve sensus, cum litterali sensu non coheren  
 tes, commentetur.

*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

An explicādis parabolis rectum, præcipuumq; rerum sensum spectet, prætermittis explicationibus, quæ nihil ad propositum faciunt.

An traditionum Apostolicarum, Ecclesiasticarumq; notitiā teneat.

An in Sanctorum Patrum scriptis, atque sermonibus peritè versatus sit.

Quem itē è Patribus, maximè in concionando sequatur, atque imitetur.

An sacrorum temporum mysteria norit, anve sacrorum Rituum significationes habeat.

An rerum in Ecclesia sancta gestarum, & Conciliorum præsertim vniuersalium cognitionem teneat.

An Sanctorum vitas, historiamq; veram norit.

An congruam Canonum scientiam teneat.

An Summorum Pontificum iura, atque instituta sciat.

An Conciliorum, Prouincialium præsertim, & Diocesanorū decreta in promptu habeat, vt in parochorum examine præscriptum est.

An casuum conscientiae doctrina instructus sit.

An Theologiæ illius mystica, quæ tota in spiritaliuitate instituta tradendis, quæq; in purgandis affectibus, in reformationeq; interiori versatur, præcepta, atque exercitationes bene norit.

An denique Sanctarum meditationum, orationisque mentalis usum habeat.

An morum doctrinæ, Christianæque disciplinae locos, non solum ordine collectos, sed rectè notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei amorem, vel ad cœlestis patriæ desiderium, vel ad virtutum studium; vel ad detestationem scelerum, vel ad misericordiam, vel ad certas præterea affectiones, quæ ad cœlum excitatæ Christianas virtutes pariunt.

An apti denique sint, atque idonei ad concionem concipiendam, & explicandam, non solum Theologiæ locorum tractatione, sed similitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, femente, aliisque rebus ducuntur, quæ sub sensum cadunt, atque intelligentiam, præsertim eorum etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingressum recta ratione, & ab ijs vitis refugiat, quæ plerique eo in genere admittunt.

An totam concionem rectè, ordineque disponat.

An dilucidè distinctèq; enarret.

An bene pronunciet.

An illius verba pondus habeant, anq; uim item, ut non solum audientium aures attingant, sed animos intus penetrent.

An in

An in tota concione, pro cuiusq; rei, de qua agit, ratione, rectè, aptè, decore, & congruenter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorando, tum in alijs diligentius indagandis, examinatores, prout occasio tulerit, quàm diligentissime instructiones adhibebunt, quæ de Cõcionatoribus ad Prouinciæ vniuersæ vsum ex Concilij Prouincialis auctoritate, iussu nostro editæ sunt.

De cultu Sanctorum.

S V M M A R I V M.

- 1 Sancti Ambrosii festum celebrandum, commemoratioq; agenda.
- 2 Sancti Barnabe festum in Prouincia colendum.

**D**E VOTIONE cõgrua, & debitis honoribus beatus Christi Confessor Ambrosius Ep̄s, Sãctę Ecclesię Metropolitanę Mediolanensis pater pater, ac patronus, cuius doctrina etiam tota illustratur Ecclesia, ut à Prouinciæ nostrę fidelibus colatur; eius, & diem festum, qui se primo Idus Decembris agitur, sicut reliquos dies festos, quos coli præceptum est, quotannis à clero, populoq; celebrari, & commemorationem de eo, quibus diebus sex Ritũ Ecclesię eiusmodi commemorationes fieri licet, in vespertino, matutinoq; officio antiphona, & oratione à clero fieri perpetuo, pro suæ pietatis studio, Episcopi, omni etiam adhortatione curent.

Quartus, de S. Ambrosio.

2 De munere, beneficioq; cum Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli Barnabe primũ fidei mysterijs imbuta, tum alię pleręq; huius Prouinciæ Ciuitates Euangelij lumine illustrate, eam sam oẽm festi illius diei, præcipuè colendi habent. Quamobrem dies eius Natalis, qui est tertio Idus Iunij, vt de more aliorum dierum festorum, qui à clero, populoq; ex præcepto coluntur, piè, & religiosè sanctificentur, Episcopus curet, ubi in sua Diocesi non colatur, sanctificetur ve.

Sextum, de diebus festis.

Cetera ad cultum Sanctorum pertinentia, videantur in Titulo de festorum dierum cultu.

De Sanctarum Reliquiarum veneratione, atq; custodia.

S V M M A R I V M.

- 1 Reliquiæ nouę ab Episcopo recognoscendę. Ea à Regularibus, & exemptis non proponendę; nisi etiam ab Episcopo recognitę.

Constitutionum, & Decretorum Synodalinum

- 2 Recognitionis, quæ forma.
- 3 Recognita in librum describenda; in quem deinceps alia referenda.
- 4 Is liber ubi asservandus.
- 6 Quo loco retinenda: quoque ornatu, & sepimento.
- 7 Quando in privato oratorio retineri possint.
- 8 Clavis quot occludantur, & à quibus retineantur.
- 9 Sanctorum corpora, arca marmorea inclusa, in scurolo, vel altaribus custodienda: quoque alio loco. 11.
- 10 Arca ipsa qualis. In eam capsula alia includenda, & qualis. 14.
- 11 Arca alia, qualis conficienda, & ubi collocanda, cum non in scurolo, vel altaribus, sed alibi ipsa reponenda.
- 12 Arca quevis, ut munienda.
- 13 Reliquiarum, sub pavimento reconditarum locus crate ferrea sternendus.
- 15 Reliquie in capsula servanda quo panno sint contegenda.
- 16 Capsula, theca, vel vascula ante benedicenda, quam imponatur reliquie.
- 16 Arca, diversa Sanctorum corpora, vel reliquias continens, ut distinguenda, cum tabella earum nominum.
- 18 Reliquiarum nomina inscribenda.
- 19 Sanctorum capita à corporibus disjuncta, ut accommodanda.
- 20 Sanctorum corpora in altari, vel arca recondita, ut inspicere queat, quo modo altare, vel arca struenda.
- 21 Reliquiarum formæ tres.
- 22 Prima.
- 23 Secunda. } loci forma qualis.
- 24 Tertia. }
- 25 Vascula, loculiq; reliquiarum quales, & qualia, & quot.
- 26 Reliquie, quo panno inuoluenda.
- 27 Inscriptio annectenda, & seq.
- 28 Inscriptio exesa, vel malè composita renouanda.
- 29 Reliquie permixta, uno, eodemq; loco, & quomodo recondendæ.
- 30 Reliquie ignotæ loculo uno, & qua ratione reponendæ.
- 31 Imagines Sanctorum, quorum sunt ipsæ reliquie, ubi pingendæ.
- 32 Virgæ duæ parandæ ad coronas precarias appendendas pro reliquijs tangendis, & quales.
- 33 Sanctorum corpora, reliquieq; tabella marmorea describenda: eaque ubi collocanda.
- 34 Scripta ad illas spectantia, in sacristia, vel Archiuio reponenda.
- 35 Sancti, cuius reliquie sunt, historia, in Codice referenda.
- 36 Codex is ubi custodiendus.
- 37 Lampas, quando coram eis præluceat.

- 38. *Alaicis ea non tractandę.*
  - 39. *Thurificatio, quando illis adhibenda.*
  - 40. *Quando illę ostendendę.*
  - 41. *Non ostendendę nudę, nec quęstus gratia; neq; ad egrotos deferendę.*
  - 42. *Cum exponuntur, quę servandę.*
  - 43. *De loco ad locum non transferendę; neque donandę.*
  - 44. *Contrafaciens, tam donans, quam donatarius excommunicationem incurrit, etiam si sit Regularis.*
  - 45. *Translatio, ut fiat.*
  - 46. *Translationis scriptura publica; ac memoria in tabula conscribenda.*
  - 47. *Cum transferuntur; ornandus locus, ubi illę collocantur: Illisq; occurrendum hymnorum, & psalmorum decantatione.*
  - 48. *Translationis officium agendum: quamque in feriam cadat.*
- Brevis Apost. tenor de Reliquiis non transferendis. De Constit. 49.*  
*Campanę, quando ob insignes reliquias pulsandę, locaq; vestibus, & candelis ornandę. De festorum dier. cultu. 35.*



**A**ea, quę de sacris reliquijs, per nos primi, & tertij Cōcilij Provincialis decretis sancita sunt, hęc pro religiosa, illas & recondendi, & exponendi, & transferendi, & asservandi ratione, piaque earundem ueneratione, atque cultu adiungenda censuimus.

Quartum, de sacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus.

Sanctorum corpora, & sacras reliquias, Episcopus à religiosis, peritisq; Sacerdotibus, quos eo potissimum nomine deligat, tum in Vrbe, tum in Diocesi sua, quibuscumque in ecclesijs, locisve illa sint, recognosci quamprimum iubeat. Qua in recognitione hęc præstentur.

Quartū, ibi.

Sess. 25. de Inuoc. vener. & reliq. Sanctorum.

2. Primo, ut scripta, tabulę, litterę, certi annalium Codices, aliave cuiusvis generis monumenta, quę in ijs ipsis ecclesijs, earumve atrijs, atque edibus, aut alijs locis extant, schedulęq; uasculis, arcisve sacrarum reliquiarum affixę, incluse nē recognoscantur accuratę, & diligenter: unde illarum, uel translatio, uel collocatio ibi facta, cognosci, aut alia eiusmodi notitia earundem haberi queat. Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent; antiquę, constantisque traditionis, ex qua certa earum cognitio, constet, aut alia, sicut opus erit, id generis diligentia ad rei perspicientiã adhibeatur.

Deinde, ut singulę ipsę sacre reliquię, quas extare compertum est, re ipsa cernantur: ita tamen, ut ubi sub altaribus, alijsue subterraneis eiusmodi locis, corpora Sanctorum collocata, reconditaue sunt, nec ostium, neque fenestra in sit, unde inspicere queant, non aperiantur, aut



effodiantur; nisi ob causam aliter Ep̄s aliquando facien dum censuerit.  
 3 Qua omni recognitione facta, diligentiaq; adhibita, librum precium, certumq; confici Episcopus curet: in quo singulae, quae in Ecclesiis, & Urbibus, & Diocesis, sunt, reliquiae sacrae, recte, atq; ordine describantur: notatis etiā diligenter, non solum in ipsis ecclesiis, ubi recoduntur, sed scriptis etiā, an alibus, tabulis, aliisve monumentis, e quibus illarum testimonium constet.

4 Is verò liber in Archiuo Episcopali certo loco custodiatur, & asseruetur perpetuò.

5 In eo item libro, rectè referantur, si quas deinceps sacras reliquias competiri, aut aliunde asportati contigerit; ubi primùm ab Episcopo illae recognita, & probatae sunt.

Nec verò sine scripta Ep̄i probatione, etiam à Regularibus, & alijs exemptis, ullas nouas reliquias euulgari, aut populo exponi, uenerandasve proponi patiaur Episcopus; antequam à se recognita, & probatae illae sint. Qua in probatione, seruet is omninò formam à Tridètino Concilio ea de re praescriptam.

Inf. de Miraculis nouis, Nonisq; Reliq.

6 Reliquiae Sanctorum ne in priuatis edibus, neue apud laicos homines, sed in ecclesia, loco conspicuo, bene septo, atq; vndiq; ornato, collocentur, & asseruentur. Atque ita eo loco decenter, ac pie, uel arcis, uel capsulis, uel vasibus, loculisve recondita, includantur: vt & pro illarum ratione, ac pro ecclesiarum dignitate, & facultatibus, formae instructionibus nostris praefinitae, omni ex parte respondeatur.

Primum, de Sanctarū Reliq. vener.

Vt Sanctorum Reliquijs, quae debetur, ueneratio, & cultus adhibeatur, statuimus; ut in locis honestissimis, ac decoris uasculis, quae debent, religione asseruentur.

4. de sac. Reliq.

7 Liceat tamen aliquando, quibus Episcopus rationabili & pia causa id concedendum censuerit, asseruari in priuato oratorio, tuto, ornato, ac decenti, eiusdem Episcopi iudicio.

8 Is porò locus duabus saltem clauibus, ijsq; diuersis, claudatur: quarum vnā Ep̄s, alteram Rector ecclesiae, ubi sunt, custodiat diligenter. Vbi verò consuetudinis est, ab vniuersitatis, sodalitatibusve hominibus, aut à Syndicis, laicis hominibus, clauem etiam teneri; illam tertiam illis permittere poterit Episcopus arbitrato suo.

Instr. Fab. li. 1. ca. 15. §. Sātorū igitur.

9. 10 Sanctorū corpora, quaecūq; recodenda sint in ecclesia partem illam subterraneā habente, quae confessio, uulgò Scuro lū dicitur, in ea praesertim, & in altaribus ipsis lapideis, aut subter ea, ut antiqui instituti est, pie, decenterq; recoduntur. Quam ob causam e marmore, uel saltem e solido lapide arcam, leuigato opere intus expositā fieri cōueniet: quae ex operculo eiusdem generis fastigiato constans, sacraq; corpora, bene inclusa continens, intus, subtusve in illis firmiter collocetur.

Alio

11. Alio etiam præter altaria, Ecclesiæ loco conspicuo, reponi poterunt; tuncque arca è marmore pretiosiori extruatur: quæ extrinsecus etiam opere sculptorio elaborata, pio religiosoq; ornatu emineat.

Hæc igitur quattuor, plaribusve, si pro situs ratione commodè potest, columnellis itidem marmoreis aptè confectis, sustentata, aut in gremio Ecclesiæ, prout loci amplitudo fert, aut in capella insignioris præterquam in ea, ubi Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, decentius collocabitur.

Si in gremio Ecclesiæ ponetur, à pariete, omnique alio opere vndique disjuncta extet: si uerò in aliqua capella à posteriori eius parte, vel à latere altaris collocari poterit; aut parieti inhærens, aut in illius decenti continuitate paululum inclusa, à pavimentoque capellæ altaris cubitis quattuor extructa, extabit.

12. At ea vero omnis, quocumque loco conspicuo posita, siuè è pavimento, siuè è pariete emineat, clathris ferreis, pro situs ratione aptè, decoreque muniri debet.

13. Si autem non in altari, neque subter, sed alio loco sub pavimento, iam recondita sunt sanctorum corpora; sternatur tamen omnino locus ac muniatur clathris ferreis ab omni latere, tum è parte superiori dense confectis.

Corpora sanctorum, quæ non sub altari, sed sub Ecclesiæ pavimento collocata sunt; nisi decentiori Ecclesiæ loco recondenda Episcopus censuerit, saltem cratè ferrea politè, ornateque confecta, ne pedibus, eorum locus irreuerentius tractetur, vndique sepiantur, atque obtegantur, ex instructionum præscripto.

14. Ut autem sanctorum corpora, sacrauè ossa, incorrupta, atque inuiolata, ab omniq; forde, & puluere pura, tum ab omni vi, ac iniuria perpetuò tuta conferuentur, hæc sanè cautio adhibeatur; ut cum arca omnis, vel conspicuo loco, vel in altari, subiusve posita ita extrinsecus inter se solidè compacta, & fibulis etiam ferreis, plumboque ab omni latere conglutinata sit, ut nè rimula quidem appareat: tum præterea in eâ alia capsula, vel aurea, vel argentea, stamineave, eaque inaurata, firmiter quoque confecta, includatur; in qua Sacra corpora recondantur.

15. Sin autem cum in ipsa capsula reconduntur, inuoluta, & vestita panno serico, aut pretiosiori velamine coloris ad sanctum, sanctamve, cuius sacra ossa reponuntur, ex Ecclesiæ instituto ritè accommodati.

16. Capsula autem vel theca, vel loculi, vel vascula, cuiusmodi sint, stata prece in libro pontificali, ritualive præscripta, ritè prius benedicantur, quam reliquiæ sacræ in illis includantur.

17. Qua verò in arca, diuersa sanctorum corpora reponenda sunt, ut inter se distincta, internoscantur, arca eiusmodi fiat, quæ opere sculpto-

4. de Reliq.  
&c. §. eo.

Inst. Fab. lib.  
1. c. 15. §. eo.

sculptorio pro sacrorum corporum, sacrarumve reliquiarum numero bipartita, & tripartita sit; aut tabularis, marmore, aliave ratione decenter, apteque diuisa, aut saltem ipsis solum capsulis argenteis, siue aeneisve distincta.

Tabella item aenea singulis capsulis includatur: in qua incisę litterę, nomina sanctorum indicent.

18 Inscriptio præterea in arcę lapide incidatur: ex qua sanctorum nomina, & corpora, quo tempore recondita, rursusque vnde translata, & alia id generis, si modo certa sint, perspicue cognoscantur,

19 Sanctorum autem capita, quę à corporibus disiuncta sunt, vtrouero quando statis diebus, pro pietatis studio fidelibus ostendantur, exponanturve; separatim à corporibus locis infra præscriptis reponi conueniens erit, inclusa scilicet in theca aurea, aut argentea: vel, vbi præ inopia non potest, aenea inaurata, quę capitis, cum collo dimidia toque pectore formam, similitudinemque exhibeant.

20 Si quę verò corpora sanctorum adhuc integra, membrisque suis omnino coniuncta, vel in altari, vel in arca conspicua reconduntur, vt cerni aliquando possint; ita altare, arcæque struatur, vt à fronte fenestellulam cancellis ferreis, aeneisve munitam, quę firmis uasculis, ad præscriptam infra rationem, claudatur, ornate confectam habeat, vnde inspicere queant.

21 Quibus verò locis Sacra aliqua sanctorum membra, insignesque sacrę reliquię asservantur; ubi certus locus, in quo illę decenter, religioseque recondantur, ad vnius, aut alterius formę, infra primo loco descriptę, modum, sacrarum Basilicarum Romanarum exemplo, extrahi poterit.

22 In Ecclesię nauis, quę ampla sit, à latere Euangelij longęque à columnis, pilisve naualibus, quattuor, aut quinque cubitis, suggestus struatur, magnitudine cubitorum item circiter quinque, isque quattuor columnis è marmore, aut è solido lapide confectis, altitudine sex, aut octo cubitorum suffulciatur, & sustentetur.

Super suggesti extractione armarium, vbi Sacrę reliquię reponantur, è marmore, alioue lapide, ornate, & decore fiat: quod intrinsecus tabellis nuceis, pretiosioribusve vndique vestiatur, sericoque ornatur, coloris, ex ritu Ecclesię, sacris illis reliquijs, quę recundendę sunt, accommodati: tum præterea ostiolo constet, quod valuis, extrinsecus ere interiectis, & serico eiusdem coloris intrinsecus ornatis, claudatur: ad quod etiam claudendum pessuli duo, serę duę saltem, clauis totidem, eęque singulę diuerso fabrilis opere, adhibeantur.

A summa columnarum parte, loco suggesti plano, podium etiam extruatur cubito vno, & dimidio latum, tamque longum, prout est eiusdem

dem suggesti longitudo.

Quod podium à parte anteriori repagulum habeat: idque vel ex ere futili, vel è ferro, vel è marmore, aliove solido lapide, vel è ligno, tornatili opere fit.

Scalas nullas coelides, aliave forma habeat: sed eę lignear gestatorię tunc solum adhibeantur, cum sacrę reliquię certis solennibus diebus populo ostenduntur.

23 Si quę verò Ecclesię, non satis ampla magnitudine, reliquias insignes, vt supra habent; in earum ferè ipso medio, propius tamen altari maiori, vel apud parietem qui in capite Ecclesię extrà capellam maiorem à latere Euangelij est, podium extruatur: quod parieti affixum, longę, latęque pateat, ad formam superioris prescriptum.

In intima parte parietis, cui illud affixum, agglutinatũve est, armarium, in quo illę asseruentur, è marmore, aliove solido lapide, fiat: tabulis querneis, aut alterius generis, ad diurnitatem accommodatis, intrinsecus circumuestitum, ac serico item eius coloris, qui ex instituto Ecclesię cum sanctis, quorum ille reliquię sunt, conueniat, vndique ornatum, quod valuis eratis, & seris duabus, ijsque diuersis, vt supra, claudatur.

Huic scala lapidea, ligneave, qua podium ascendatur, accommodari potest, si modo à posteriori parte armarij fieri commodum sit vt Ecclesię spatium non impediatur, alioqui scala gestatoria, vt supra adhibeatur.

24 Forma loci tertia hæc sit: eaque in Ecclesijs reliquias sacras habentibus, vbi nullus locus, ad primę, aut secundę formę, supra prescriptę, modum extructus est, aut extrui potest.

In capella maiori, intra eius scilicet septa, à parte Euangelij, armarium, quod ad altare maius versus, vbi potest, recta spectet, ita latę, longę, altę, profundeque in ipso pariete concauetur, prout sacrarum reliquiarum, quę in eo asseruandę sunt, multitudo, ac magnitudo, postulat. Altę a pavimento capellę, ad solum suum vsque extructum sit cubitis quattuor, intus tabulis vndique sepiatur, tum aliquo panno serico eius coloris, qui sacris reliquijs conueniat, circumornetur.

Benè muniatur, & claudatur valuis, ere extrinsecus munitis, ijsque decentibus, fera solida, duplicique claue, & vnaquaque fabrilis opere diuersa.

Quo in armario, ita ornate instructo, Sacrę reliquię, vasculis, loculisque, incluse, ordine recondantur.

25 Vascula quib; recondantur, ex auro, argēto, aut è crystallo, aut ex aliquo metalli genere sint, eaq; arti ficio elaborata, atque inaurata, prout ille insignes sunt, & Ecclesię, ubi asseruantur, facultates ferunt.

Ea

Ea totidem sint, quot sanè illarum genera, quæ habentur, vt singulæ, binæve, aut plures, singulis vâculis distincto ordine separatim asservantur, singula vâla sint, quibus illa vâla integantur, eaque colore distincta, pro sacrarum reliquiarum, quæ in vâculis asservantur, ratione.

Si quæ Sacræ reliquiæ eiusmodi sunt, quæ tenues non vâcula maiora, sed loculos minores requirunt, ita recondantur.

Tabula sectilis, è nucea, lignæve alia, & pretiosiori etiâ materia, vt potè eburnea, argenteave deligatur: quæ fabri opere politè elaborata, tam latè, longèque pateat, vt ad vsū, cuius causâ paratur, satis effluat. In ea totidem capsulæ, seu loculi, iique singuli trium viciarum mensura concauentur, quot Sacræ reliquiæ recondendæ, asservandæve sunt.

Ij loculi vndique à parte summa parvulis coronicibus inauratis ornentur.

Hæc tabula, his loculis extructa, opere vitreo operiatur ita, vt singulis loculi vitro pellucido contegantur.

Quod vitreum integumentum, coronicis lignæve inauratæ, vel pretiosioris etiâ materiæ ornatu vndique muniatur: vt fixum firmumque hæreat.

26 Singulæ sacræ reliquiæ serico taffetano duplici, ormesinove, aut aliquo serico pretiosiori, auro, argentove intexto inuiolatè recondantur, eo distincto serici colore, qui pro sanctæ matris Ecclesiæ ritu, sanctis, vel Apostolis, vel Martyribus, vel Virginibus, vel Confessoribus, quorum reliquiæ ibi recondantur, conueniat.

27 Eæ in quocunque loculi, armarij, vâculive genere reconditæ sint, singulæ, quarum nomina constant, inscriptionem in carta pergamenâ, patentibus litterulis expressam, earumque vnicuique vel potius serico, in quo illæ singulæ inuolutæ sunt, affixam habeant: qua vniuscuiusque Sancti, Sanctæve reliquiæ, quæ in ijs recondantur, planè significantur.

28 Quæ reliquiæ inscriptionem habent, non vetustate consumptam sed integram, & ex præscripto instructionum nostrarum confectam; ita vt est, illa inscriptio retineatur, & conseruetur. Quarû verò inscriptiones aliqua ex parte exesæ sunt, aut aliàs non ad præscriptum factæ, eæ in carta pergamena rectè exaratæ, renouentur.

Quæ nihil inscriptum habent: sed tamen constat quorum sanctorû, sanctarumve illæ sint; ijs singulis nomina propriâ inscribantur, ad instructionum præscriptum.

29 Si quæ verò ex certis monumentis constat, quorum potissimum sanctorum sint, ita tamen inter se permixtæ apparent, vt diudicari non queat,

4. de reliq.  
§. quæ reliq.

Inst. Fab. lib.  
l. c. 15. §. eo.

queat, que precipue proprie huius, atque illius sancti sint; eę in vno eodemque loculo, vasculove recondantur: cui loculo, vasculove, singula eorum omnium eorum sanctorum nomina inscribantur, quorum reliquie in eo asseruantur.

Idem de inscriptione vasculive, loculive, in quo sacre reliquie, que in eo asseruantur, inscriptiones quidem habent, at ab illis seunctas, varięque ita permixtas, vt ijs ipsis adhibitis nulla distinctionis ratio iniri possit.

30 Rursus si que sunt, quarum nomina non constant, in loculo vno recondantur, inscriptione etiam hac adiuncta. **R E L I Q V I A E S A G R A E, Q V A R V M N O M I N A I G N O R A N T V R.**

31 In Armarij item, vbi sacre reliquie reconduntur, pariete etiam adiuncto, sanctorum pictura, religiose, decoręque exprimat, quorum insigniores presertim reliquie in ea reconditę asseruantur.

32 Fiant virgę duę e ligno eburneo, aut, quod vocant, traxilio, aliove genere decenti; ac tricubitalis sint: que a summa parte, lamina argentea, exiguaque vnica binis constet, vnde fidelium coronę precarię appendantur ad sacras reliquias, vel potius earum vasa tangenda.

33 Quacunque deniq; in Ecclesia sanctorum reliquie, corporauę sūt, in ea loco cōspicuo, atq; illustri, utpotē in colūna capelle maioris à latere Euangelij, aliove insigni loco, tabula, vel aenea, vel marmorea litteris grandiusculis incisa, firmiter parieti, columęquē agglutinata, collocetur, in qua res tota de reliquiis ibi reconditis, breuiter, summatimq; narretur, extat etiam in cons. 4. decretum sequens.

Sanctorū reliquie, presertim insignes, & sacra corpora, sacraq; membra, que ex certis monumentis, in vlla quauis Ecclesia recondi constat, in tabula aerea, aut marmorea, lapideauē litteris incisa, quo accuratius memoria perpetuō conferuetur, diligenter, ordineque Episcopi cura, describantur: tum præterea in capelle, maioris colūna, latereve, aut in gremio Ecclesię, loco aperto, ac perspicuo, ea tabella, parieti calce conglutinata, in omnium conspectu sit.

34 Scripta tabulę & antiqua monumenta, ad illas spectantia, in earundem Ecclesiarum Sacristia, archiuouē reponantur, vbi tuto asseruentur.

35 Vniuscuiusque sancti, sanctauē, cuius corpus, vel sacre reliquie, presertim insignes, assumentur, vitę aut Martyrij historia, ex probatis authoribus breuiter collecta, ab Episcopo ante recognita, & comprobata in tabellam, aut in aliquem certum codicem, charta pergaminea exarata, referantur. Qui.

36 Codex in Ecclesię Sacristia, certo loco diligenter asseruetur. Vnde illa

4. de reliq. §. cod.

illa autem vitę, breui narratione ex certis monimentis, antiquate tradi-  
tione, omni que alia, que constat, ratione, exponatur deinceps, in extre-  
ma scilicet parte, ac paucis, item uerbis, quo tempore, quouē, modo, sa-  
cre illę reliquię eō translate, uel recondite sint.

37 Sacris autem reliquijs, si Sanctissimo Eucharistię Sacramento nõ  
ita propę quidem eę collocatę sunt, ut illius lampade harum cultui sa-  
tis fiat, lampas propria assidue perluceat: nisi hanc impenfam, nimia,  
& Ecclesię, & populi egestas Episcopi iudicio non patitur. Cęterum  
corporibus sanctorum, & reliquijs, Episcopi iudicio insignibus lampas  
omnino una semper colluceat. Vbi uerõ plures, aut ex legato, seu alia  
obligatione, usque adhibeantur, aut pro reliquiarum ratione, uel Eccle-  
się amplitudine, facultatibus adhiberi Episcopus iusserit, id etiam  
feruetur.

38 Nę sacre reliquię per laicos, etiam cuiusuis ordinis, dignitatis ho-  
mines ullo modo tractentur: nec uerõ tangantur, cum hoc sacrilegum  
ac minus propterea ferendum esse, sanctus Gregorius Pontifex scri-  
bat.

39 Cum uerõ ab Ecclesiastici ordinis hominibus illę cum suis loculis,  
uasculisque suscipiantur, uel populo ostendantur, uel in altari exponan-  
tur, uel in processionibus ferantur; primum illis thurificatio adhibea-  
tur: si que in uia ferantur, tunc acoluthus, sacerdoti illas ferenti pre-  
eat, qui item thurificet.

40 Ne passim omni tempore, sed certis tantum festorum dierum cele-  
britatibus, utpotę in Natiuitate Domini, Epiphania, Pascha Resurre-  
ctionis, Ascensione, Pentecoste, & eiusmodi, festoque ipso die exponan-  
tur, ostendatur uę, quo illius sancti, cuius reliquię sunt, uel Ecclesię, in  
qua recondite sunt, celebritas solemnī, festoque officio agatur, tum  
pretereā quo die, ob aliquam causam Episcopus iusserit, cõcellerit uę.

Ne temerę exponantur omnium oculis.

41 Nullo autem modo unquam illę ab operimetis, aut uelis nudę o-  
stendantur, exponantur uę.

Ex loculis uero, & receptaculis, ubi condite sunt, nę educantur.  
Ne uę quę itas gratia.

Ne sacre reliquię in Ecclesię Sacrificia recondite, e loco, ubi asser-  
uantur, ad egrotos ullo modo exportentur, nę consuetudinis quidem  
pretextu.

42 Cum in altari autem exponantur, hęc feruentur. Primo in illis ex-  
ponendis, processio per Ecclesia, ubi illę sunt, ab eiusdem clero aga-  
tur, certo luminum numero adhibito: prout etiam primo Concilio  
statuitur his uerbis.

Cum populo pietatis causa ostenduntur, lumina accendantur.

Rur-

1. de sanct. re

reliq. ven.

4. de eo. §. eo.

1. de san. re

liq. vener.

5. de Indul-

gętis, & sac.

reliq. §. eo.

4. de reliq. §.

eo.

1. de sancta. r.

Reliq. ver. §.

eo.

Rursus idem præstetur, cum reconduntur.

A sacerdote, qui post Episcopum in illa Ecclesia digniorem sacerdotalem locum obtinet, nisi aliquando Episcopus ipse munus sibi obeundum censuerit, exponantur, & recondantur. 4 Ibid.

Itaque superpelliceo, & stola, vel pluuiali etiam, pro reliquiarum, Ecclesiæ ratione indutus sit.

Dumque exponuntur, & item cum reconduntur, hymnus, vel de Apostolis, vel de Martyribus, vel de Confessoribus, uel de Virginibus canatur, prout sunt sancti, sanctorumve reliquiæ, quæ exponuntur: tum Antiphonæ, & alia eiusmodi ad rem accommodata, ultimoque loco, oratio de sanctis illis: si uero sanctus, sanctaue est, cuius proprius hymnus, Antiphonæ, oratione extet, illæ canantur.

Cum item exponuntur, de statuto eo libro, tabellæ supra præscriptæ, uniuscuiusque Martyrium, aut vitæ historia breuiter explicata, uulgariter sermone grauitur in populi frequentia pronuncietur: ad quam rem præterea sacerdotis, de diuinis illorum sanctorum uirtutibus, cælestique uita, & rebus per eos fortiter, ac mirifice gestis, grauitur, breuique tractantis, officium, ubi potest adhibeatur: quo ardentius populi, sacras reliquias spectantis, animi ad omne pietatis studium inflammentur.

Dum in altari expositæ sunt, candelæ, saltem quattuor, grandiores ac censæ ibi colluceant: ad earumque custodiam adhibeatur, qui semper assistat, unus, duouè, sacris maioribus ordinibus initiati, sique moribus probati, ac superpelliceo induti.

Horum uero clericorum, non laicorum opera, ministerio adhibito, liceat fidelibus pietatis, & religionis causa, calculorum coronis, sacrarum reliquiarum uascula, loculosuè attingere, qua hora Episcopus concesserit.

Cum reliquiæ sanctorum non in altari exponuntur, sed è loco superiori, alioque, in quo reconditæ sunt, populo ostenduntur, omnis eadem ratio plenè seruetur, processione excepta.

In quibus autem processionibus illas, uel per Ecclesiæ, uel extra portam contigerit, debito cultu, apparatusuè seruantur ab iis, qui in Sacerdotio constituti, post Episcopum Ecclesiastica sacerdotali dignitate, Canonice alii in illa Ecclesia præstant, nisi Episcopus id munus ipse obeat.

43 Sacras porrò reliquias, uno in alium locum transferri ne liceat, sine iusta, & legitima causa, & facultate scriptis ab Episcopo permilla.

44 Ne sine Episcopi concessu, facultateue litteris consignata, extra Diocesim sacras reliquias, asportari, nec uerò quæ etiam aliundè allatae sunt, intra diocesis quoque fines, ab una Ecclesia eiusuè Rectore, etiam

5. De cultu Sanct. s. eod.



etiam de consensu Capituli, alteri Ecclesie donari; minus verò cuique Ecclesiastico, aut laico homini earum particulam aliquam priuatim cõcedi, tradi, donariue liceat, propõsita excommunicationis pœna, quam subeat, tum is, qui dederit, concesseritue, tum ille qui acceperit, vel asportauit, etiam Ecclesie suæ nomine. Idque omne quod de reliquijs neque dandis, neque transferendis, hoc Decreto alijs præceptum est, vt Regulares etiam, atque exempti seruent, eos in Domino monemus.

quarta Ibid.

45 Sicut sacrarum reliquiarum translationis memoriã, festa solenniue celebritate fieri, religiose, iam ferè ab initio nascentis Ecclesie institutum, perpetua Ecclesie consuetudine sanctè retentum est, ita, si quando sanctorum corpora, membraue, aut sacras reliquijs, Episcopi iudicio insignes, transferri contigerit, vel ab vno oppido, vrbeue ad alijs, vel in ea ipsa etiam vrbe, oppidouè ab vna ad aliam Ecclesiam, id ritu solenni religiosoque cultu præstari oportet.

Itaque hæc decernimus.

Primum aliquot ante diebus si opus erit, aut certè, omnino pridie illius diei, quo sacræ reliquie transferendæ sunt ab Episcopo, alioque, vbi adhiberi potest, Ecclesiastica dignitate prædito, cui nominatim is id munus dederit, accuratè, diligenterque recognoscantur, testibus alijs sacerdotibus grauioribus adhibitis. Quæ recognitio fiat, vt supra diligenter conquisito omni monumentorum genere.

Recognitæ vbi sunt, ordine componantur, tum in arca duabus saltè, ac diuersis clauibus quarum altera ab Episcopo, aut ab eo, què ipse maluerit, asseruetur: inclusæque signo Episcopali obsignentur.

Dies translationis, tum in loco, vnde transferuntur, tum ad quem transferuntur, tum etiam quibus locis transeundum est; per parochos Episcopi iussu, Dominico die, vel festo proximè præcedenti nuntietur.

Idemque illis locis iubeatur coli, manè, saltè, vt dies festus, signicetur etiam proximis ante diebus frequenti sono campanarum illius Ecclesie, ad quam translatio faciendã est.

Pridie verò translationis, vespere significatio celebritatis detur solenni campanarum omnium vtriusque loci sono.

Eo die ieiunium à Clero Ecclesie, ad quam transferendæ sint, seruetur: noctuque item arca cum sacris reliquijs, si commode super altari Ecclesie, vnde trãsferendæ sunt, si verò non potest, alio decenti loco collocata, & adhibitis præterea ad earum uenerationem, sex saltè luminibus ab eodem Clero, & alijs item Ecclesiasticis hominibus, quibus Episcopus id iusserit, vigiliæ fiant: statoque tempore nocturna iudicè ritè de sanctis decantentur, quorum reliquie transferuntur.

Mane quo die transferuntur, processio solennis, psalmis, hymnis, & canticis

Canticis, omnique prece agatur, ad Ecclesiam, in quam translatio fit: ubi iterum illis recognitis, tum de eorum vita, deque historia sanctarum reliquiarum, olim eo loco reconditarum, de causis item translationis, ab Episcopo, vel ab alio, eius iussu, sermo appositè habeatur: nisi commodius censuerit Episcopus postea habendum inter Missarum solennia: deinde adhibita primum illi thurificatione, clero, & populo ostendantur: ab illis ipsidem debitus cultus, & veneratio tribuatur.

Transferantur autem inclusa in arca, pro earum ratione, proque ritui Ecclesie decenter ornata, & umbella præterea adhibita, ut Episcopus censuerit.

Arca vero humeris portentur à Sacerdotibus, qui digniores sint, et in toto clero, & in ea Ecclesia, ad quam translatio fit: illique vicissim, prout Episcopus iusserit, ad quibus subeant, sacris vestibus induti, tum capite aperto, præeant vero duo Acolythi, semper thurificantes.

Clerici præterea aliquot, super pelliceo amicti, qui capite item aperto sint, lumina deferant, hinc inde congruo numero, & ordine accensæ: hæcque præter cereos, quos accensqs reliquas etiam clerus, & populus, laicorumque hominum sodalitates, & cæteri, earum pie prosequentes, pro sua pietate manibus gestant.

Verum si Episcopus in loco adest, ipse quoque cum sacerdotibus, qui in Cathedrali Ecclesia, Sacerdotali dignitate præditi sint, canonicatumve sacerdotalem habentes, digniores sunt, humeros sacre arcæ portandæ subijciat, idque saltem paululum, tum in initio, tum in fine processionis, quæ translationis causa agitur.

Cum vero arcæ non portat, eam proximè subsequatur, reliquo omni clero præeunte.

Vasculo, quod ab vno ferri possit, reconditæ sacre reliquie, ab Sacerdote item portentur, qui dignior est, cæteris etiam seruatis, supra mox præscriptis.

Vbi ad Ecclesiam ventum est, in qua collocandæ, recondendæque sunt, per Episcopum, aut per alium Sacerdotem, eius iussu, Missarum solennia celebrentur de sanctis, quorum translatio facta est: idque solenni ritu, nisi horæ tarditas impediat.

Pæcatis Missarum sollemnibus, certo loco benè septo, & clauso, ut ne populus propius accedat, in altari exponantur, ubi per illum diem sint, accensis saltem sex luminibus, & adhibitis ad custodiam duobus sacerdotibus, vel vno saltem, alioque clerico in sacris ordinibus constituto: quorum Sacerdotum cura sit, Sacras reliquias custodire, & earum atcam, aut loculos precatonis fidelium coronis, quæ portigentur, religiose tangere.

E Confe-

Confecto translationis die, sub occasum solis constituto loco ab Episcopo, vel alio quem miserit, cum thurificatione, psalmis, hymnis, canticis, Antiphonisue religiosè recondantur.

46 Translationis tabulæ, publicè à notario confectæ, in librum, in Sacristia illius Ecclesiæ asseruandum referant, tum rei gestæ, littere in ere, vel marmore incisæ in eo reliquiarum loco, ad perpetuitatē collocentur.

47 Corpora sanctorum, sacraue membra, aut insignes sacre reliquiæ, cum aliunde è loco longè remoto transferuntur, si vel nauigio vel curru vehuntur, illius locus, parsve, vbi pro ventione collocantur, pie ornentur, vna etiam, vel duabus pluribusue lampadibus accensis. Si ad ventionem iumentum adhibetur, decenter item lternatur.

Quacumque illis transferendis iter sit, per vrbes, siue per oppida obviam solenniter procedatur: ita vt Psalmis, Hymnis, & Canticis illas, cum clerus vniversus, sacris vestibus indutus, religiosè excipiat, tum populus item, luminum numero, portarum, & viarum publicarum apparatus, religioso ornatu, pieque venerationis studio, & spiritualis letitiæ significatione.

48 Dies translationis in vrbe, oppidum, aut saltem in Ecclesia, in qua collocantur, ut Episcopus iusserit, anniuersario Canoniarum horarum officio de sanctis celebretur, quorū sacra corpora, reliquiæque eiusdem Episcopi iudicio insignes transferuntur.

Quod officium, vt sollemniter, & cumulatè prestetur, id prospiciatur, vt dies, quo celebritas translationis, agenda est, in feriam certam cedat, que sanctorum, quorum reliquiæ translate sunt, cultui dicari possit, vniuersè, vel, in ea saltem Ecclesia.

De Miraculis, nouis, nouisque reliquijs.

S V M M A R I V M.

- 1 Forma à Tridentino Conc. miraculis nouis approbandis, & nouis reliquijs recipien. præscripta ab Episcopo seruanda.
- 2 Episcopi quid agant, vbi quid pro miraculo euulgetur.

Quartū de I  
Reliq. &c. S.  
eo.  
Sess. 25. de In  
uoc. vener.

Ibid.



FORMA à sacra Synodo Tridentina, miraculis nouis approbandis, & nouis reliquijs recipiendis traditam, Episcopi seruent diligenter in omnibus, etiam Regularium, & alijs exemptis Ecclesijs.

Nec verò patientur, causa a se non cognita, & scripto probata, altare propterea erigi, aut imagines vllas

villas extra morem ornari, votaue, aut oblationes suspēdi, aut quicquam noui ea in re omninò geri. Sed quia plerumque fit, ut vulgi concursu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut sacra reliquia euulgetur, quod re uera non est, studeant hoc summo perè, ubi eiusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus piè obstant, donec rei ueritas, legitimè comprobata, constet. Si quis uerò dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, uel omninò aliqua de ijs rebus grauior quæstio incidat: Episcopus, ante quam controuersiam dirimat, Metropolitanus, & prouincialium Episcoporum in Concilio prouin. sententiam expectet, ita tamen, ut quemadmodum ab eodem Tridentino Concilio præscriptum est, nihil inconstituto Sanctissimo Pontifice, nouum aut in Ecclesia hæctenus inusitatum decernatur.

De Imaginibus sacris, & profanis, Deque pictoribus, & sculptoribus.

*S V M M A R I V M.*

- 1 Imagines Sacre, quæ, & quomodo pingendæ.
- 2 Quæ historiæ pingi prohibentur.
- 3 Quæ seruandæ: quæque cauendæ in imaginibus sacris.
- 4 Imagines, ut exprimendæ pro earum decencia.  
Earum habitus, ornatus, locus ab Episcopo inspiciendus.
- 5 Sanctorum insignia apponendæ.
- 6 Nomina quoque inscribendæ.
- 7 Quæ ornatus causa illis addi non debeant; quæque liceat.
- 8 Quibus in locis non pingendæ.
- 9 Pictores, & Sculptores conuocandi, docendique à quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis.
- 10 Si, parochio inconsulto, Sacram imaginem non pingant.
- 11 Contrafacientes ut puniantur.
- 12 Interdicto ab Ecclesia pleclēdi insolitam imaginem pingentes.
- 13 Rectores uerò id permittentes, excommunicatione, & mulcta feriendi.
- 14 Imaginib. effingendis, quæ difficultatem habent, Episcopi iudicium a parochis requirendum.
- 15 Imagines, quæ delendæ, uel corrigendæ.
- 16 Veteres renouandæ; sordidæ delendæ.
- 17 Tabula pictæ, ob uetustatem, comburendæ.
- 18 Imagines sculptæ, si deformatæ, sub pauimento collocandæ.
- 19 Imaguncule cereæ profano ornatu composite, non permittendæ.
- 20 Eæ minimè uendendæ. Ipseque cuiusmodi sint. 19

21. Sanctorū imagines, benedicendę, nitidęq. conseruandę, & cuius studio.
22. Instruendus populus, quę admodū sacre imagines, & picturę uenerandę.
23. Imaginibus sanctorum patronorum uniuscuiusque Ciuitatis. Prouincię Metropolitana Ecclesia decoranda.
24. Imago Sacra in cubiculis Episcopalibus, & J collocanda.
25. In Gymnasio Ludimagistri.
26. Imagines obscenę, etiā a laicis non recitandę.
28. Obscena in apparatu processionum non adhibenda.

r. Quę seru.  
sunt in Sacr.  
Im. effing.  
Ses. 25. de In  
noc. ven. & re  
liq. sanctorū.



V. M. Sacrosancta Tridentina Synodus decreuerit, nemini licere vlllo in loco, vel Ecclesia, etiā quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: eiusque diligentię & curę commendarit, vt in sacris effingendis imaginibus, nihil falsum, nihil profanum, nihil in-

honestum, nihil præ posterę, nihil non rectę, atque ordine adhiberetur, illud in primis caueant Episcopi, nē quid pingatur, aut sculpatur, veritati scripturarum, traditionum, aut Ecclesiasticarum historiarū aduerfetur: nē cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

2. Historię quoque quibus neque Ecclesia, neque probati scriptores auctoritatem vllam dederunt; sed sola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur.

Instr. Fab. li.  
1. cap. 16.

3. In Ecclesia, alioue loco, nē imago sacra exprimat, quę fallax dogma contineat: quęque periculosi erroris rudibus occasionem præbeat: quę uē Sacrę Scripturę, uel traditioni Ecclesię, repugnet: sed quę ueritati scripturarum, traditionum, Ecclesiarum uel historiarum, matrisque Ecclesię consuetudini, & vsui conueniat.

Præterea sacris imaginibus pingendis, sculpendis uē, sicut nihil falsum, nihil incertum, apocryphum uē, nihil superstitiosum, nihil insolitū adhiberi debet: ita quicquid profanum, turpe, vel obscenum, inhonestum, procacitatem uē ostentans, omnino caueatur: & quicquid itē curiosum, quodq. non ad pietatem homines informet; aut quo fidelium mentes, oculiq. offendi possint, prorsus vitetur item.

In illis autē, sicut sancti, cuius imago exprimenda est, similitudo, quo ad eius fieri potest, referenda est, ita cautio sit, vt nē alterius hominis uenētis, vel mortui effigies de industria representetur. Effigies præterea iumentorū, canum, piscium, aliorum uel brutorum animalium in Ecclesia alioue sacro loco fieri non debent, nisi historię Sacrę expressio, ex matris Ecclesię consuetudine aliter quandoque fieri postulat.

Effigies iumentorū, canū, aliorum uē brutorū animalium in Ecclesia nē fiant.

fiat: cum aliquid in honestum, aut profanum in ea apparere nefas sit, ex Tridentini Concilij sanctione; idque planè etiam septima Nicena Synodo œcumenica vetitum sit.

4. Reliq. & s. eod.

Si verò historiæ sacræ expressio, ex Sanctæ Ecclesiæ matris consuetudine, aliter quauddoque fieri postulat, hoc sanè non vetatur.

Ibid.

4. Sactarū imaginum expressio, tota prototypi dignitati, & sanctitati aptè, ac decorè corporis habitu, statu, & ornatu respondeat.

Inst. Fab. v. supra de decore sacrarum Imaginum.

Ut hæc omnia ad protypum dignitatem, & sanctitatem apta sint, & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur; nulla uerò turpis cogitationis detur occasio, vniuscuiusque, imaginis os, corpus, corporis habitum, & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi.

1. Quæ seruanda sunt in sacris imag. effin. §. De ide. Inst. Fab. vbi supra de insignib. sanctorum.

5. Quæ præterea ob significationem rei sacræ, imaginibus sanctorum appinguntur, eiusmodi apponantur, quæ ex Ecclesiæ instituto aptè, decorè; conueniant, vt corona, quæ sicuti rotundi instar sanctorum capitibus apponitur; palmæ in manibus martyrum, mitra & baculus pastoralis, quæ Episcopis dantur, & alia id generis; tum quod proprium est, ac præcipuum insigne cuiusque sancti. In quibus omnibus diligentia adhibenda est, vt ex historiæ veritate, Ecclesiæ vsu, ac patrum præscripta ratione exprimaantur. Videndumque est, vt Christi Domini corona, à coronis sanctorum distinguatur, & crucis figura.

Hoc cauendum est item, vt eiusmodi corona nemini apponatur, nisi quos Ecclesia canonizauit.

6. Nec verò alienum illud est, ut in multitudine sacrarum imaginum, quæ in Ecclesijs exprimuntur, imaginibus minus notis, nomina sanctorum subscribantur, quod & ueteris consuetudinis est, & sanctus Paulinus illo versu ostendit.

Inst. Fab. li. 1. c. 16. §. nominib. SS. inscribendis.

*Martyribus mediam pianomina signant.*

7. Parerga, vt potè, quæ ornatus causa imaginib. pictores sculptoresve addere solent, nè profana sint, nè voluptaria, nè deliciosa, nè denique à sacra pictura abhorrentia, vt deformiter efficta capita humana, quæ Malcharoni vulgo nominant, non auiculæ, non mare, non prata uirentia, non alia id generis, quæ ad oblectationem, delitiosumque prospectū, atque ornatum effinguntur, nisi eiusmodi sint, quæ cum historia sacrâ, quæ exprimitur, uerè conueniant: aut tabulæ vtorū, in quibus, & capita, & alia vt supra, ad eorum explicationem pinguntur. Ornamenta itè, indumentauè alia, quæ sacris imaginib. appinguntur, nihil ineptum, nihil deniq. habeant, quod nihil parumve cum sanctitate conueniat.

Inst. Fab. v. supra de parergis, &c.

8. Nec uerò sacra imago, etiam in Ecclesia humi exprimat, neque locis item uliginosis, quæ picture corruptionem, ac deformitatem aliquo temporis spatio gignunt, effingatur: neque sub fenestris, vnde aliqua

Inst. Fab. lib. 1. c. 16. de locis picture, &c.

pluuiæ gutta stillare possit: neque eo loci, vbi clauis aliquando figendi sunt: neque rursus humi, sordidoque lutulentove vlllo loco.

Quo loco ne historia quidem Sancti, Sanctæve exprimatur: nec verò vlla sacrorum mysteriorum figura: neque præterea vllus eorundem typus, significatiove.

4. de reliq. §. eod. Quod de sacrosanctæ crucis effigie, in Concilio prouinciali Teruip per nos sancitum est, itidem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumue mysteriorum figuras, & significationes in vlllo quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrâ Ecclesiam, insculpi, pingi, effingiue.

1. Que serui. sunt in sac. imag. effing. §. eod. 9 Hæc & reliqua huiusmodi ex Tridentini Concilij præscripto, vt cõmodius Episcopi exequantur, conuocent suarum Diocesium pictores, & sculptores, omnesque pariter doceant, à quibus cauere debeant in facris imaginibus effingendis: curem que nè illi, inconsulto, parochos, aliquam sacram imaginem publicè, vel priuatim effingant.

1. Ibid. 10. 11 Quod, si qui deliquerint, puniantur, tam ipsi artifices, quam quorum sumptibus, vel iussu effectæ erunt imagines.

4. de reliq. §. eod. 12 Pictoribus, & sculptoribus grauis multa, ac pœna etiam interdicti ab Ecclesia, Episcopi arbitrato proposita sit, si quid inordinate, aut præposterè, aut tumultuariè accommodatum; si quid profanum, aut inhonestum sinxerint, aut effinxerint, contra eiuidem Concilij Tridentini decretum.

Ses. 25. de In voc. vener. &c. Ibid. 13 Rectoribus etiam Ecclesiarum, qui vllam sacram imaginem insolitam, contraque illius Concilij sanctionè, in suis Ecclesiis etiam exemptis, poni permiserint, pœna, etiam excommunicationis, multatue constituta sit, arbitrato Episcopi, pro ratione culpæ irroganda.

1. ut sup. §. eo. 14 Parochi verò Episcopo significant, quæ ille iudicarit in sacris imaginibus effingendis ad se propter difficultatem deferri debere.

1. ut sup. 15 Quod si quæ iam pictæ imagines, fictæue simulachra ob artificum temeritatem, aut insciam, eiusmodi fortasse fuerint, ut ferenda nullo modo videantur, ea curent Episcopi, doctorum etiam, & peritorum virorum Consilio adhibito, ut omninò deleantur, vel saltem aliqua ratione corrigantur.

4. de Reliq. §. eo. 16 Si quæ sacræ tabulæ, imaginesve pictæ nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus penè deletæ indecenti aspectu sunt; eas Episcopus, pia religioaque pictura ab ijs, quorum interest, renouari iubeat, aut si id non potest, omninò deleri.

17 Ne tabulæ sanctorum imaginibus expressæ, vetustate contemptæ, in vilem, & sordidum, profanumque vsum conuertantur: sed, vt de altaris pallis, ac velis, temporis vsura penè confectis, Beati Clementis Pontificis, & Martyris decreto sancitum est, in ignem conijciantur: tam cines

res prætereà, ne pedibus inquinentur, in pauimenti fossis collocentur.

18 Imagines quoque Sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoueantur, & sub pauimento Ecclesiæ, aut saltem sub cæmiterij solo collocentur.

19 Imagunculæ illæ paruulæ, fictili opere effectæ, si ita fucò, alioque apparatus concinnatæ sint, vt Episcopi iudicio, vanitatem præ se ferre, aut offensionem præbere videantur, ad altare nè adhibeantur in pòsterû.

Votorum item tabulæ, donaria, ex cera fusiles imagines, & eiusmodi alia, quæ ad memoriam, vel recuperatæ valetudinis, vel periculi depulsi, vel beneficij diuinitus, mirabiliterque accepti in Ecclesijs, ex antiquo more, institutoque suspendi solent; cum sæpè falsò, indecorè, turpiter, superstitiosèque affingantur, in ijs ipsis exprimendis cautio sit, supra præscripta.

20 Ne imagines ceræ, uoti causa, Ecclesijs, pijsq. locis oblatæ, venditari vilo modo possint, ac nè contractæ quidem etiam vetustate temporis, nisi concessu Episcopi in vsum Ecclesiæ conuertendæ.

21 Cruces, & sanctorum imagines, solenniter, statiq. precib. ex Ecclesiæ ritu benedicantur. Ex instructionibus item fabricæ, de imaginum benedictione hæc habentur.

Nec verò loci solum habenda ratio est, sed antiqui, Ecclesiasticiq. ritus, vt cum scilicet expressæ sunt sanctorum imagines, solenni benedictione, statiq. precibus Pontificaliùè libro præscriptis, consecrentur.

22 Curet prætereà, atque adeo efficiat Episcopus, vt & per se, & per alios, Theologiæ scientia peritos, ac illos in primis, qui illius interpretandæ, aut populi docendi munus, in vllâ quauis Ecclesia quouis modo sustinent, fidelibus accuratè enucleatèque exponantur, quæcumque & de sanctorû intercessione, inuocatione, atque cultu, & de sacrarû reliquiarum, imaginumque veneratione, & de historijs mysteriorum nostræ redemptionis, pictura, aliave similitudine expressis, eos instrui, doceri- que Tridentina Oecumenica Synodus iussit.

23 Acquisitum est, cum rationeq. pietatis coniunctû, sanctorum patronorum vniuscuiusque ciuitatis Prouinciæ huius sacris imaginibus Ecclesiâ Metropolitanam splendescere: cum eorum etiam intercessionem, patrociniumve ibi diuinis Officijs, & Litanijs implorari moris sit. Quamobrem id cum in primis ad religionis cultum, tum ad eiusdem Ecclesiæ ornatum, splendoremque præstetur.

24 In cubiculis omnibus, reliquisque domus locis frequentiorib. nè de sit aliqua mago sacra.

25 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius sacræ imaginis appendatur, ad quam diebus singulis discipuli, stas preces facient.

26 Et quoniam Christianorum hominum mentes facilè corrupun-

Inst. Fab. ecc. lib. 1. c. 16. de tabulis uoto- rum.

4. de paro- chus, &c. §. eod.

4. de reliq. §. eod.

Inst. Fab. lib. 1. c. 16. de ritu bened. ima- gin.

4. de Reliq. §. co.

Ses. 25. de In- uoc. §. ven. Sanctorum.

6. de cultu sã- ctorum. §. 1.

Quartum de Epif. §. eod.

5. Quæ ad pd. &c. §. co.



3. Dejs que partim ad ordinis sacramentum, &c. §.cod.

tur, peccandi libidine inflammate, ob rerum turpiū, atque obscenarum imagines, ideò illas effingi vetitum est constantinopolitanę synodi canone.

Itaque curet Episcopus, vt quicumque laici homines, id generis imagines habent, uel tabulis, uel parietibus, expressas, pro pietatis Christianę, cui addicti esse debent, studio, eas abijciant, uel planè deleant, uel ad honestatem reconcinente.

27. Cum Christianę pietatis rationi illud alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, que non modo religionem non excitant; sed inuentium mentes facillè illicitiunt in fœdas, turpesque cogitationes: id propterea nè quis ad illa ornanda peristromatis, auleisque utatur, que obscenis figuris intexta sint; neque item pictas imagines, & signa adhibeat, que uel ethnicorum hominum, uel aliarum rerum, loci sanctitati repugnantium formam, ac speciem præferant.

28. In omni præterea publicarum supplicationum uel apparatus, que obscenarum rerum speciem ostendunt, ea nè adhibeantur.

De imagine sanctę Crucis, & Pilis structilibus in uijs publicis constituendis.

S V M M A R I V M.

1 Cuius insigne in frequentiorib. triujs proponendum, certis uel alijs locis, & ex qua materia. Et eiusmodi. 2.

3 Humi exprimendum.

4 Statis precibus benedicendum.

Sub capelle maioris fornicato arcu proponendum. De Eccle. fabrica. 29.

Crucis adoratio feria sexta in parasceue qua hora in omni Ecclesia celebranda. De diu. off. 60.

Quaque animi humilitate, & corporis prostratione. Ibid. 62.

3. Que ad sacramentua- lia, & sacram. gener. pert.



**C**HRISTIANAE pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare est cœlestis holocausti, sacrosancta illa arbor crucis, in qua auctor humanę redemptionis pependit Christus Dominus. Quamobrem ad Christianę religionis gloriam insignis admodum fuit ea veterum pietas, vt Crucis signum non in templis solum, sed domi, forisq. in parietib. ac vestibulis, pas-

passimq; in Vrbe expressum apparet, tamquam & præclarum populi Christiani trophæum, & clarissimum Diuinæ misericordiæ monumentum, & sempiternum denique testimonium, quo palam fieret, fideles eum inimicis Crucis Christi, Iudeis, Ethnicis, & Hereticis nihil habere commune; sed contra eos omnes liberè proferri, quem colunt, Dominum Iesum, & hunc Crucifixum. Hoc igitur maiorum religioso exemplo, atque instituto, cuius etiam vestigia in hac Prouincia aliquot locis perspicui licet, excitatus Episcopus, illud curet, vt hoc Sacrosanctæ Crucis insigne, vel ligno, vel lapide, vel, vbi commodè per facultates fieri potest, marmore expressum, in Vrbe, & Diocesi sua, vbi triuia frequentiora sunt, publicè proponatur, atque erigatur: quò crebrius, perspecta ea Sacræ Crucis arbore, fideles sese erigant, tū ad summi mysterij, in ea peracti, gratam memoriam, tum ad ueram illam gloriam, ad quam Christo duce, populus fidelis, qui populus est acquisitionis, contendere debet.

2 Pile quædam struictiles, in vijs publicis constructæ, cum sancta aliqua imagine, vel cruce, edito loco pietæ, aliove modo expressa, à superiori parte tectæ conferuentur, ne corruant.

4. de Oratorijs i via sitis.

Cureturque item, vt aliæ eiusmodi pile ad hominum pietatem excitandam certis congruis locis ædificentur.

3 Quod præterea aliàs sancitum est, id pro Sacrosanctæ Crucis cultu, & veneratione seruari Episcopus iubeat, vt ne ea humi exprimat, neve sordidis, & aliqua labe inquinatis locis.

Tertiū, ibid.

Quod de Sacrosanctæ Crucis effigie, in Concilio Prouinciali tertio, per nos sancitum est; in idem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac Sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumve mysteriorum figuras, & significationes, in vllò quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrà Ecclesiam insculpi, pingi, eisingi.

4. de sacris reliq.

4 Cruces, & Sanctorum imagines, solenniter, stasque precibus, ex Ecclesiæ ritu, benedicantur.

Ibidem.

### De Indulgentijs.

#### S Y M M A R I V M.

- 1 Abusus, quauis causa, in Indulgentias introducti, à Metropolitano ad summum Pontificem deferendi.
  - 2 Concionatores Indulgentias populo non publicent, sine Episcopi concessu. 8.
- Principes, & Magistratus, curantès obseruari decreta Concilij Lateranen. contra blasphemos, quam indulgentiam acquirant.

De

- De Blasphemia, numero 7.
- Quam item accusatores, & iudices contra eosdem procedentes, Ibidem.
- Sodalitati nominis Dei ad blasphemiam tollendam, quæ indulgentiæ largitæ. De Constitut. 7.
- Indulgentia per associantes Sanctiss. Sacramentum cum ad aegros deferatur acquisita, denuncianda. De sancta Eucharistia ad aegros defer. 24.
- Indulgentia quoque sodalitatibus Corp. P. à Paulo III. concessa, sepè promulganda. Ibid. 25. & 26.
- Indulgentia altera à Gregorio XIII. eisdem sodalitatibus largita, sepè publicanda. Ibid. 27.
- 3 De Indulgentiis doctrina instituenda, & à quibus, num. seq.
- 4 Instructiones editæ de Indulgentiis.
- 5 Indulgentiæ omnibus Ecclesiis concessæ, colligendæ, & in certum librum describendæ.
- 6 In quem deinceps aliæ concedendæ, referantur.
- 7 Indulgentiarum Codex, vel Tabella, ubi tetinendi.
- Indulgentiarum omnium exemplar in Archiuio asseruandum. Ibid.
- 8 Indulgentias, quibus publicare non liceat.
- 9 Quæ Indulgentiæ quotannis fixato tempore publicandæ.
- 10 Indulgentiæ causa, collecta elemosyna, quibus attribuendæ.
- 11 Indulgentiarum litteræ propè elemosynarum capsam non fixandæ.
- 12 Concionatores, & Parochi, quæ ratione hortentur fideles ad elemosynam tribuendam tempore acquisitionis Indulgentiæ. Propè Indulgentiæ locum capsam elemosynæ non collocandæ. Ibidem.
- 13 Conuenientibus ad orationem quadraginta horarum, quæ Indulgentiæ concessæ.
- 14 Orantibus item sine intermissione, quæ tribute.
- 15 Et in eleuatione Corporis Domini.
- 16 Conuenientes ad Concionem, Missam Conuentualem, ad Vesperas, Completorium, ad orationemq; & processionem sub vexillo.
- 17 Item ad Missam Congregationum forancarum, quam indulgentiam acquirant.
- 18 Orantibus certa hora pro defunctis, quæ Indulgentiæ concessæ.
- 19 Aegrotos visitantibus, quæ traditæ Indulgentiæ.



X præcepto sacri Concilij Tridentini collegimus, & cognouimus abutis omnes, qui in Indulgentias ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut quavis causa in Prouincia Mediolanensi irreperunt; vt Metropolitanus de ijs, ex sententia Synodi ad Summum Romanum Pontificem referat, cuius auctoritate, & prudentia

Primum de penis, & alijs decret. in gñe Sels. 21. ca. 9. de Refor. & Sels. 25. decret. De Indulgentijs, &c.

constitutis ijs, quæ huic Prouinciæ nostræ expedire videbuntur, fideles salutarem indulgentiarum fructum piè, & sanctè percipiant.

2 Indulgentias populo ne publicent Concionatores, nisi de consensu Episcopi.

1. De prædicatione uerb. Dei.

3 De sanctis indulgentijs tractatio, prout vsu venerit, accuratè in sermonibus item habeatur; vt & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, populus intelligat: seque propterea omni intima mentis, animiq; religione, & Christianæ charitatis actionibus atque operibus, ad vberissimas, salutareque earum utilitates assequendas diligenter parat.

4. de Indulgentijs, §. 1.

4 Id autem omne officium per parochos, & alios, quorum interest, præstari Episcopus iubeat, ijs præsertim instructionibus, quæ eo de genere, nostra in Concilio Prouinciali auctoritate confectæ, ad communem Prouinciæ huius usum in lucem emittentur.

Ibid. cū seqq.

5 Quæcumque indulgentiarum, quæ olim, uel nuper cuius etiam Regularium, aut aliter exemptorum ecclesiæ perpetuò concessæ sunt, tabulæ, scripta, monimētave alia omnia eiusdem generis extant, ea ubi illa sunt, siue in Vrbe, siue in Diœcesi, Episcopus studiosè conquirenda curet: tum illa conquisita, inde que lumninim exscripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archiuo Episcopali asseruetur, diligenter, rectèque referri iubeat.

6 Quæ præterea in indulgentiæ Urbis, Diœcesis que suæ ecclesijs in posterum perpetuo, uel ad certum tempus concedentur, ubi primum ad se, aut ad Vicarium Episcopalem, qui illas recognoscat, delatæ sunt, eodem, aliove libro notentur, ordineq; deinceps describantur.

7 Singulæ autem ecclesiæ quibus uel concessæ sunt, uel cōcedentur, proprium eiusdem generis Codicem, in quo illæ exscribantur, accuratè confectum, aut tabellâ eiusdem generis in Sacristia habeant; illarum exemplari in Archiuo, uel in Sacristia asseruato.

8 Ne cuius Reçtori Ecclesiæ, etiam exemptæ, quouis modo, neque ulli ordini Regularium, neque cuiquam Scholæ, Confratrię, etiam Rosarij, & Crucelignatorum, locive pij Collegio, prætextu, causave, uel priuilegiorum, etiam antiquorum, uel indulgentiarum, quas sibi quouis modo concessas, etiam instar ecclesiarum, locorum que piorū, Confratria-

5. de Indulgentijs, §. eod.

Sess. 21. ca. 9.  
de Refor.

Ibidem.  
De Indulgentiis

Conc. Tridē.  
Sess. 21. ca. 9.  
de Refor.

Ibidem.  
De Indulgentiis

6. de Indulgentiis.  
De Const. num. 30.

6. ibidem.  
De Const. num. 42.

6. ibidem.  
De Const. num. 47.

6. que ad procelis. pt. §. eo.

fratritiue Urbis Romę hęc liceat illas ipsas i suis ecclesijs promulgare.  
9 Sed, vt decreto Tridentino cauetur, per Episcopum adhibitis duobus de capitulo, illę quotannis stato tempore publicentur, atque euulgentur.

10 Eleemofynę item, atque charitatis subsidia, quecumque eo nomine, occasioneve a fidelibus offerentur, per eos ipsos colligantur; & Ecclesię, locove; cuius causa indulgentia concessa est, omninō attribuantur; idque gratis, ac nulla prorsus mercede.

11 Ne indulgentiarum litterę, inscriptionesve, earum nomine exarte, eo loco, ubi capsula ad eleemofynam colligendam apparatus est, etiam extrā ecclesiam, proponantur, affiganturve, sed, vel in altari maiori, uel in alio, ubi indulgentię causa statio, oratiove constituta est.

12 Ac proinde statis ijs diebus, quibus Episcopus indulgentiam promulgandam decreuerit, cum fideles ad eleemofynam Ecclesię, locove pio tribuendam, vbi illius indulgentię celebritas agitur, parochus, concionatorve excitabit, doceat simul diligenter, eius consequēdę causa non esse necessario prestitutam eleemofynę largitionem; vt celestem eum Ecclesię thesaurum, spiritaliaque munera exponi omnes intelligant non ad questum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

Si verō aliquando, Episcopi concessu capsula, in quam eleemofynę fidelium coniciatur, palam ponitur; intus in ecclesia, loco longē ab altari, ubi Indulgentię statio agitur, decorē collocetur; de eleemofynę verō seruetur ratio supra prescripta.

13 Quō ubiores ex orationis instituto fructus existunt, eo sepius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officiū igitur Parochi sit, quō magis illos proposito spiritali dono alliciat, crebrō, cum occasio tulerit, indulgentiam euulgare, iis concessam, qui orationi quadraginta horarum ordinarię, aut extraordinarię, Episcopi iussu exposuē, uauerint. Hoc officium, vt is prestet indulgentię litteras unā cum hoc Concilio in fine edi volumus.

14 Idem prestet de indulgentia ijs data, qui in oratione, que dicitur sine intermissione, versabuntur. Itaque ex litteris Pontificiis, infra huius Concilij vltima parte eo nomine editis.

15 Idipsum preterea sepenumero agat de indulgentia fidelibus data, qui uti fuerint in eleuatione Corporis Domini orauerint. Cuius etiam Indulgentię, litterarum monumenta, infra eo nomine impressa sunt.

16 Supplicationibus publicis obeundis, fideles suę quique Ecclesię parochialis uexillo prelato, vt frequentes ordine procedant, eos parochus sepenumero, prout occasio tulerit, accuratē moneat, valdeq; accendat.

cedat, dono, munere que indulgentiæ, quam Summus Pontifex Gregorius XIII. pro sua paternâ charitate Prouinciæ Mediolanensi concessit: cuius Indulgentiæ Pontificias litteras in fine huius Concilij sexti impressas, ob eam causam frequentet parochialibus suis euulget.

De Constit. num. 44.

Quò frequentiores item in concione facta, in Missa maiori, Vespertis, & Completorio, presentes ad sint, iisdem Indulgentiæ litteris illos crebrò cohortetur, & moneat.

17 Indulgentiæ, cuius etiam litteræ in vltima parte huius Concilij edite sunt, Congregationis nomine concessæ, singulis mensibus à Sacerdotibus foraneis, ex Decreto Prouinciali in singulos menses euulgentur, quo die missa illius Congregationis celebratur.

6. q. ad Synodum, &c. §. eo. De Constit. num. 45.

18 Parochi præterea, quò magis, atque magis huius pietatis studium, exardescat, (vt scilicet oretur pro defunctis,) sæpè accurata cohortatione ad illius studium, vsum que perpetuum, parochiales suos inflammare studeant: & quò magis eosdem alliciant, indulgentiam proponant ijs concessam, qui sono campanæ moniti, atque excitati ad orationem, pro mortuis piè recitauerint Psalmum, De profundis; aut Orationem Dominicam, Salutationem que Angelicam ter dixerint: cuius Indulgentiæ Pontificias litteras, ut parochi aliquando de scripto euulgent, in fine huius Concilij loco suo impressas extare volumus.

6. quæ ad funera, &c. §. e.

19 Sanctissimus Pontifex Gregorius XIII. vt salutarem aliquam egritis medicinam afferret, certis Apostolicis suis litteris, Episcopis huius Prouinciæ auctoritatem dedit, Indulgentiæ egris concedendæ, quos uel ipsi, uel eorum nomine alij visitauerint. Quæ litteræ, ut omnibus notæ sint, proinde que egriti salutare medicamentum contriti, & confelsi capiant ex visitatione Episcopali, illæ à parochio, prout usu tenerit, studiosè, accuratèq; euulgentur.

de Constit. num. 46. 6. de visit. infir.

de Constit. num. 48.

**De actionibus, & repræsentationibus sacris.**

*S Y M M A R I V M.*

- 1 *Actiones, & repræsentationes Passionis Domini non agendæ.*
- 2 *Passio Saluatoris, vt exponenda.*
- 3 *Repræsentationes martyrum itidem prohibita.*

**Q**UONIAM piè introducta consuetudo representandi populo venerandam Christi Domini Passionem, & gloriosa martyrum certamina, aliorūq; Sanctorū res gestas, hominum peruersitate eò deducta est, ut multis offensionem, multis etiam risui, & despectui sit; ideo statuimus.

**Vt**

*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

- 2 Ut deinceps Saluatoris passio, nec in sacro, nec in profano loco agatur. Sed doctè, & grauius eatenus à Concionatoribus exponatur, vt, qui sunt vberiores concionum fructus, pietatem, & lachrymas commoueat auditoribus, quod adiuuabit propolita Crucifixi Saluatoris imago, ceterique pij actus externi, quos Ecclesijs probatos esse Episcopus iudicabit.
- 3 Item Sanctorum martyria, & actiones ne agantur; sed ita piè narrentur, vt auditores ad eorum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

*De Magicis artibus veneficijs, diuinationibusq; prohibitis.*

*S V M M A R I V M.*

1 *Magia prohibita.*

*Magi, & Maledici* & à societate fidelium exterminandi, ac puniendi.

2 *Diuinitio vetita, Diuinatoresq; coercendi, & eijciendi.*

3 *Eos consulentes, auctoresque consulentium puniendi.*

4 *Annuli ad supersticiosos, & magicos vsus vetantur.*

5 *Astrologorum licentia, & eorum, qui illos consulunt, coercetur.*

*Veneficijs, & fascinationibus matrimonia impediētes excommunicati. Quae ad sacr. matr. pert. 46.*

*Illis etiam soluendis verba improbata adhibentes, excommunicati. Ibidem.*

*Consilium quoque mandatumve ad hęc dantes, eandem censuram incurrunt. Ibid. 47.*

Primum, de  
Magieis arti-  
bus, &c.



**M**AGOS, & maleficos, qui se ligaturis, nodis, characteribus verbis occultis mētes hominum perturbare, morbos inducere vel expellere; corporum figuram, & constitutionem immutare, ventis, tempestati, aeri, ac mari incantationibus imperare posse sibi persuadent, aut alijs pollicentur: ceterosque omnes, qui quouis artis magicę,

& veneficij genere pactiones, & fœdera expressè, vel tacitè cum demonibus faciunt; Episcopi acriter puniant; & à societate fidelium exterminent.

2 Deinde omnem diuinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex unguiū, & lineamentorum corporis inspectione ex sortibus, somnijs,

somnijs, mortuis, alijsque rebus, quibus per dæmonum significatione incerta pro certis affirmatur, futura prædicere furta, thesauros absconditos commonstrare se posse profitentur, & huius generis reliqua, per quæ curiosorum, & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, coerceant, & eiiciant.

3 In eos etiam, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos, & cuiusvis generis magos de aliqua re consuluerint, vel ut consulerentur cuique auctores, adiutores, hortatoresve fuerint, vel eis fidem habuerint, seuerè animaduertant.

4 Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos, vel superstitiosos usus fecerit, aut vendiderit, graui pœna afficiatur.

5 Astrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum astrorum motu, figura, & aspectu de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio profiscuntur, certo aliquid euenturum affirmant, grauibus pœnis plectantur. Quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiusmodi rebus detulerint.

Denique pœnas sumant Episcopi de ijs omnibus, qui in itineris susceptione, aut cuiusvis rei institutione, vel progressionem dies, tempora, & momenta obseruantes, quadrupedum voces, anium garrum, aut volatum notantes, ex occurfu etiam hominum, uel pecudum, suscipiendi operis fœlicitatem augurantur.

### De Superstitionibus.

#### S V M M A R I V M.

*Superstitionum causa Eucharistia, sacrisve rebus abutentes, ab Episcopo absoluedi. De Confessario, num. 22.*

1 Parochi & cura in superstitionibus euellendis.

2 Confessarij & Superstitionis causa nihil in feretro, &c. apud mortuum ponendum, De fimeribus, & exequijs. 8.



**Q**UANTVM in religione stabilienda, atque augenda laboris ponendum est, tantum in superstitione, ex hominum mentibus euellenda, curæ, ac diligentie est impendendum. Quare parochi diligenter ei rei inuigilent: ac si quod superstitionum genus in suæ parochiæ hominibus animaduertant, id semper ante proximam Synodum, tempore, quod Episcopus præstituerit, ad illum in scriptis

Quartū, de Superstitionibus.



scriptis deferant, vt ei malo occurrī oportūne possit.  
 2 Confessarij quoq; diligentes in eo genere se p̄sentent, inuestigētq; num penitentes aliquod remediū valeat dēni, aut vulneribus adhibeāt; quod non à medica arte, & cognitione, sed à superstitione profiscatur: tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid eiuſmodi; superstitiosa opinione obseruent: & quos ea in re peccare noſterint, grauius obiurgent; & ab eiuſmodi vano sensu, atque errore deterrēt, & auertere conentur.

De Blasphemia.

- S V M M A R I V M.**
- 1 Blasphemandi temeritas coercetur.
  - 2 Clericus palam Deum, et Sanctos blasphemans, quæ pœna puniendus.
  - 3 Laicus, vt etiam plectendus.
  - 4 Deum, & Sanctos occultè blasphemans mitius puniendus.
  - 5 Blasphemo in foro conscientie, gravis pœnitentia imponenda.
  - 6 Blasphemi accusandi: serui domo eiciendi.
  - 7 Principes, & Magistratus hortantur ad seruandum decreta contra blasphemos; & quid ob id lucrentur.
  - Eos accusantibus indulgentia tribuitur. Ibid.
  - Indulgentia ipsa sep̄ à parocho, & Concionatore denuncianda. Ibid.
  - 8 Iudices non castigantes blasphemos, quibus pœnis subijciantur.
  - Quando ad Confessionem, & Communionem blasphemi non admittendi. De Euch. in eccl. adm. 1 l.
  - 9 Vt blasphemie occurratur, Sodalitas nominis Dei instituenda: queq; eidem sodalitati Indulgentia concessa. De Constitut. 7.
  - Quæ etiam pœna contra blasphemos, & Constit. Pij V. proposita. De Constit. num. 1 l.

Primum de Blasphemia.

Sess. 9. tit. de Refor. Cur.

**B** L A S P H E M I A E impudentia, & impietas eo prolapsa est, vt in ea coercenda vix satis diligentia adhiberi posse uideatur. Itaque sacris concionibus, & Pontificū decretis, maxime verò ijs, quæ Leo X. in Lateranenti Concilio decreuit, innixi hæc mandamus.  
 1 Vt quicumque Deo palam, seu publicè maledixerit, contumeliosisq; aut obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam, eius matrē, expressè blasphemauerit; si clericus sit, primum fructibus vnus anni beneficiorum Ecclesiasticorum, quæcumq; habuerit, mulctetur. Si iterū in eo peccauerit, eo

rit, eo beneficio, quod habet, priuetur; & si plura obtineat, eo priuetur, quo ordinarius priuandum censuerit. Si tertio blasphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcumque habuerit, eo ipso amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis sit.

3 Si verò laicus fuerit; primum, aut etiam secundo, pecunia mulctetur, ex præscripta in eodem Concilio ratione: tertio grauem pœnitentiam publicè agat, eo modo, quo à sacris Canonibus præscriptum est.

4 Qui verò Sanctos blasphemauit, aut in Deum, & gloriosam Virginem Matrem maledicta; non tamen palam, aut publicè, contulerit, mitius aliquanto iudicis arbitrio puniatur.

5 In foro autem conscientie, ei, qui blasphemie reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam confessor imponat.

6 Qui blasphemantem audierit, si possit sine periculo, asperius obiurgat; omnino autem intra triduum eius nomen ad iudicem ecclesiasticum, vel secularem deferat. Si plures simul audiuerint, singuli idem faciant; nisi inter eos conuenerit, vt unus pro omnibus eo fungatur officio. Quod si domini; mercatores, aut artifices, famulos, aut ministros audierint blasphemantes, semel monitos, si iterum in eo genere peccarint, domo eijciant.

7 Principes autem, & Magistratus, per Dei gloriam, quæ blasphemiam maximè violatur, obsecramus, vt hæc omnia diligentissimè seruari studeant, vberrimam pro curæ à Deo mercedem expectantes, præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranensi Concilio, & ipsis, & iudicibus, & deferentibus elargitus est.

Parochus & Sæpè, prout opus esse animaduertent, illam decem annorum indulgentiam edicat, ac denunciât, quam Summus Pontifex Leo X. in Lateranensi Concilio toties cuius concessit, quoties aliquem blasphemantem accusarit.

8 Quod si seculares iudices, quod minimè futurum speramus, blasphemie conuictos, iustus pœnis non affecerint; sciant iidem pœnis, quas de fontibus sumere neglexerunt, ex eodem Concilio se teneri.

9 Vt detestabile blasphemie scelus, quàm diligentissimè fieri potest, tollatur, præterea, quæ superiori Concilio Prouinciali sancita sunt, id Episcopi studeant, ut in sua quisque Vrbe, & Diœcesi, hominum, qui zelo religionis accensi sunt, sodalitates Dei nominis instituant, præscriptis eidem sodalitati regulis, vnâ cum Indulgentijs in Bulla expressis, quam fel. record. Pius III. eius rei causa confecit.

Innovatione  
ac cautionem  
pœnæ, vide I  
Bulla Pij V.  
cùm primò,  
inf. de Consti  
tutio. nu. 11.

Sess. 9. de ref.  
Curie.  
3. quæ ad Cõ  
cion. pt. 5. c.

1. de blasphe.  
in fine.

2. titu. 1. De  
creto 3.

S Y M M A R I U M.

- 1 Festi dies colendi.
- 2 Festis diebus seruilia opera, atque infra notata vetantur.
- 3 Nundinae, emporia, mercatus.
- 4 Contractus, rerum medicinalium, & necessariorum exceptis, & his seruatis conditionibus.
- 5 Officinae aperte.
- 6 Collectae, Taleg.
- 7 Librorum, imaginum, signorum venditiones.
- 8 Ad aleae usum pertinentia.
- 9 Tonsoribus, pistoriis, sutoribus, calcearijs, & alijs opificibus certa praescribendae regulae.
- 10 Choreg quoque, saltationes, tripudia.
- 11 Comessationes.
- 12 Comedieg, ludi scenici, theatrales, hastiludia, ludi equestres, &c.
- 13 Circulatorum spectacula.
- 14 Tortura reorum.
- 15 Testimonium, tam in ecclesiastico quam seculari foro.
- 16 Arborum incisio, erectioque Calendis Maij.
- 17 Contrafacientes arbitrarijs poenis, tam decretis provincialibus, quam Pij V. Constitutione puniendi. De Constit. 11.
- 18 Quibus actionibus diebus festis incumbendum.
- 19 Parochi, & Concionatoris officium in admonendo populo, ut diem festum ueraciter traducat.
- 20 Modus ritè festi diei consumendi prescriptus.
- 21 Epi officium in occupadis fidelibus, ut se abducant à profanis actionibus.
- 22 Festis diebus nullus iter faciat Missa nondum audita.
- 23 Ecclesiastici à domo, & ab ecclesia sua non discedant, nisi ob urgenti causam.
- 24 Principes, & Magistratus, quibus diebus ad Cathedralē conueniant: eaque in re Episcopi officium.
- 25 Dies, veteri instituto, votore colendi, ab Episcopo inuestigandi.
- 26 Vota item, piaque consuetudines obseruandae. Eiusdem Episcopi, ijs obseruandis, quae cura. 28.
- 27 Monumenta festorum dierum, et priorum institutorum, quae in Archivio Episcopali, & quae in Ecclesia parochiali assumenda. 30.
- 29 Vigiliae, festiq; dies obseruandi, in Synodo decernendi, atque in Calendarium referendi.
- 30 Ii, Dominico die publicandi: docendumq; quid vigilijs, festisq; colendis, agendum.

- 31 Quae etiam pia opera infra hebdomadam praestanda, quae stationes, & indulgentiae publicandae, quae orationes, processiones, et anniuersaria agenda, quaeque alia à parochis seruanda ipsis diebus festis.
- 32 Sancti, Sanctae uel, cui parochialis Ecclesia dicata, vigilia, festumque agendum, & quibus officijs celebrandum.
- 33 Eiusdem Sancti, Sanctae uel uita, & gesta, post Vesperas, pronuntianda.
- 34 Vitae Sanctorum, qui in urbe, & diocesi coluntur, uno libro ab Episcopo contexenda.
- 35 Festo die Sancti, cuius reliquiae adfuerint, quid agendum.
- 36 Festi dies edito Episcopali sanctificandi, à Regularibus et obseruandi. Eorumque Tabellae in Sacristia etiam à Regularibus retinenda.
- 37 Ieiunia quoque ab eisdem obseruanda.
- 38 Festi dies, & celebritates, & quae alia in librum referenda.
- 39 Liber is, singulis mensibus ad episcopum afferendus: à quo quid propterea agendum.
- 40 Eorum dierum corruptelae ab Episcopo corrigendae, & qua ratione.
- 31 Ieiunium in festum incidens, nihilominus obseruandum. Quibus festis diebus, templa, ecclesiae uel decentius ornandae. De ornatu ecclesiarum, num. 10.
- Festus dies Ecclesiae Monialium, non magnifico apparatu celebrandus. De eccle. Monial. 28.
- Neque tunc admittendi Musici, nec figuratus cantus. Ibid.
- Vi certis festis, & diebus solemnibus in urbe, & oppidis habitent rusticae, parochi cura. De sanctae Euch. in eccle. administr. num. 4.

**M**AXIMAM in eo diligentiam, ac studium Episcopi ponere debent, ut dies festi, pie, sancteque obseruentur ab oibus. Cum enim ij potissimum ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes salutariter instituti sint, curandum est etiam diligenter, ut ne ijs ipsis quisquam ad diuinam offensionem, & animae suae perniciem abutatur.

Primum de festorum dierum cultu. Conc. Trid. sess. 25. de delect. ciborum &c.

2 Prohibeant igitur ij, ne illiberales artes exercentur, aut ullum opus fiat eo tempore alienum, Quae sequuntur infra dicentur.

Sacrosancta Tridentina Synodus cum statuit, fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comestationes, ad luxum, & lasciuiam, tum pastores omnes vehementer in domino obiectata, debitam, sanctamque eorundem obseruantiam pastoralis diligentiae magnoperè commendauit. Quamobrem primo Prouinciali Concilio, de illorum cultu quamuis à nobis sancitum sit: tamen hac Constitutione, eo ipso de genere diligentius decernendum.

3. de fest. dierum cultu. Sess. 25. delect. de inuo. Sac. Sess. ead. dec. de delect. cib. Primum, p. 1. de fest. dierum cultu.

cenfuimus; cūm eæ sint morum corruptelæ, is deprauatus vsus, ab omni, & diuina, & humana lege alienus, vt Deo dicati dies, sanctisq; rerum officijs cōsecrati, ac Spiritus sancti doctrina instituti, tum ad recollenda diuina beneficia, tum ad honores debitos Sanctis tribuēdos, ad eorumq; vitæ imitationem excitandam, non modo, ut oportet, sanctè non colantur; sed, quod grauissimū est, nefariè violentur, operibus, officijs, rerumq; actionibus, ab eorum cultu, & pietatis Christianæ studio alienis. Itaq; in maxima hac offensione, nos sacræ illius Synodi auctoritate, Canonum iure, Summorū Pōtificum sanctionib. & Pij V. Pontificis Constitutione, eo nomine edita, Patrum item institutis, tum ipsis Imperatorijs legibus adducti, edicimus; vt ne quid seruilis operis factis ijs diebus qui Sanctæ Matris Ecclesiæ instituto, aut vniuscuiusq; loci consuetudine, votove publico coluntur, fiat; nec quicquam deniq; quod in illis agi, geri, fierive non liceat.

Et quoniam in ijs, quæ sequuntur, maximè peccatur, hæc nominatim vetamus.

3. *ibid.* §. co. 3 Ne ijs diebus nundinæ, emporia, mercatusve agantur: ne quicquā præterea fiat, exerceaturve, qđ ad earū nundinarum, vel mercatus apparatus pertineat, etiamsi in diem proximè sequentem, illæ cadant.

1. *ibid.* §. co. Ne fiant nundinæ, sed quæ festo die fieri consueverint, in antecedentem, vel sequentem diem, qui festus non sit, transferantur.

3. *ibid.* 4 Ne contractus ulli cuiusuis generis sint, neve ullæ rerum executiones fiant; nisi cum iure nominatim permissum est.

1. *ibidem.* Ne quid ematur, aut uendatur, præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit.

3. *ibidem.* Ne quas res ad victum necessarias, uendi licet; illæ propè Ecclesias, in eorumve conspectu uenales proponantur.

Neque earum ipsarum rerum, præter quam panis à Sole aut pluuia defendendi causa, in foro, locisve publicis tentoria, rastrave sint, quibus illæ exponantur.

Neque earūdem rerum occasione, causave officinæ aperte ullo modo sint: sed earum ostiolum paruulum patens sit licet, reliqua omni parte clausa. Quo in genere præterea Episcopus, illarum rerum venditioni certam horam, & modum præscribat; ne ex uenditione aliquid existat scandali, offensionisve, aut occasionis, qua distrahantur homines à diuinis officijs.

1. *ibid.* §. cod. 5 Ne officinæ, aut omninò, aut aliqua ex parte aperte habeantur. Pro officinis apertis, rebusve uenditis, si filius famulus, ministri, deliquerint, etiam pater, dominus, & artifex pœnam subeant.

3. *ibidem.* 6 Ne collectæ, taleq; in oppidis, pagis, uicis, ut ex deprauata consuetudine quibusdā locis factum est, festis diebus exigantur, præsertim, quo

Sess. 25.  
Const. Pij V.  
de obser. fest.  
edita 1566.

quo tempore, vel sacra fiunt, vel concio habetur, vel processiones, vel alia diuina officia celebrantur, vel scholarū doctrinæ Christianæ exercitationes aguntur. Nec verò vlllo prætereà vniquam die in Ecclesia, in cimiterio, atriove ecclesiæ illas exigi liceat.

7 Nelibri, imagines, signa, & alia id genus vsquam venalia proponantur, aut circumferantur.

8 Neque ad aleæ lusum pertinent, neque laræ itidem, nec vestes ad personatorum hominum vsum vendantur, vel locentur.

9 Tonforibus prætereà, pistoribus, sutoribus, calcearijs, alijsq; eiusmodi, & reliquis item opificibus, quibus præscribi oportet, Episcopus certas regulas præscribat, ne deinceps dierum festorum cultum violent, in quo maximè peccare plerique solent.

10 Quoniam autem vsu iam hac in prouincia nimis compertum est, deprauatis huiusmodi temporibus, & moribus, ad choreas, trepudia, saltationes, & id genus alia nunquam ferè conueniri sine multis, & ijs quidè grauissimis Dei offensionibus; idque cum ob turpes cogitationes, obscenè dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuò coniunctas, tum propter cedes, rixas, dissidia, supra, adu'teria, aliaque mala plurima inde consequentia quam sæpius: his tot offensionum, & peccatorum semina ijs locum dari, ijs præsertim diebus, qui dies propitiationis sunt, & ijs istis diebus fideles plerosque, nefarijs istis Sathanæ blanditijs illectos, à diuinis officijs, religiosi supplicationibus, lectionibusque sacris abduci, auerti que rudes à percipiendis fidei rudimentis, aliosque ab alijs Christianæ pietatis officijs, in quæ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi, & amoueri, hoc certè grauissimum est in conspectu Dei, & Ecclesiæ. Quare festis ijs diebus saltem horis, quibus diuina celebrantur officia, interdici mus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.

Choreæ, & saltationes in vrbibus, suburbijs, oppidis, vicis, aut vsquã omninò ne agantur.

11 Prohibeat verò diligenter Episcopus, atque omninò efficiat, vt nò modo nò saltationes, & choreæ, verùm et ne conuersiones in honore Sanctorum, ludi, aliæve profanæ actiones, ab eorū festorū dierū, & piorum institutorū cultu alienæ, vlllo quouis modo, et illorum pretextu, occasioneve introductæ, publici ijs ijs diebus fiant.

12 Ne item comedie, ludi scenici, vel theatrales, hasiludia & alia cuiusuis generis spectacula agantur.

Ne ludi equestres, certamina, aut alia ludicra, & inania spectacula, adhibeantur.

13 Nec circumforanei circulatores, & id generis nebulones, prestigias suas,

1. de fest. die-  
rū cultu, §. c.  
3. de fest. die-  
rū cultu, §. c.  
3. Ibid.  
1. Ibid.  
3. Ibid.



suas, inaniaque ea spectacula agant, neque quicquam omnino uendat, ne medicamento quidem pretextu.

Primum, p. 2.  
Commun. de  
rat. diuin. off.  
§ eo.

4. de ferijs,  
§. eod.  
Ibidem.

e. que ad dies  
festos &c. §. e.

Episcopi ne patiatur circulatores, circūforaneos, & id fallax hoīum genus tempore diuinorū officiorum in foris, & plateis ecclesiarum uersari, ne populus illecebris eorum artificij ab ecclesijs euocatus, salutare cogitationes abijciat.

14 Rei ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur, si modo criminis atrocitas aliud non postulet.

17 Ac ne testes quidē ijs diebus testimoniū dicāt, et si feriali die iurati id sint, nisi in causis, in quib. licet eisdē diebus iurandū illis deferri.

Id omne sanē Episcopus, cum in Episcopali foro, tum in secularibus iudicijs caueat, ut seruetur.

16 Calendis Maij, qui dies Sanctorum Apostolorum, Philippi, & Iacobi solennitati consecratus est, eum prauum usum passim in prouincia nostra retineri ad nos perlatum est, ut incise arbores frondescentes, per vrbes, oppida, vicos, & pagos in plateis, ac triuuis ludibundo spectaculo erigantur.

Id porro graue, atque eiusmodi esse animaduertimus, unde pestiferū quoddam seminarium existit non paucorum malorum, cum quidam homines illius ridiculæ actionis cupiditate, atque uoluptate prolapsi, Missæ sacrificio adesse, eo die festo, perniciosè negligent, tum arbores alienas, sæpeq; in prædijs ecclesiasticis confitas, furtim per vim, atque iniuriam præcidant. Hinc illa manant conuitia, srixæ, contentiones, iniuriæ, odia, inimicitia, & aliquando cædes. Accedit præterea tum uulgi clamor, tum bellicorum instrumentorum uehemens strepitus, quo diuina officia, sacreue conciones valdè perturbantur; & comestiones deinde, & comporationes fiunt, quibuscum ebrietates, obscæne dicta, inhonestæ actiones, perniciosè ad omnia opera carnis illecebræ, & alia plurima mala perpetuò coniuncta sunt, non sine nois Christiani iniuria. Nos igitur, & sacrorū canonum iure, & sacrosanctis sanctionibus, & Concilij in primis Tridentini decretis, quibus corruptelas à pietatis Christianæ usū, & à dierū festorum præsertim cultu alienas, omni pastoralis vigilantia officio tolli iussum est, & nostræ et curæ, officijq; munere adducti, tantæ, tamq; publicæ offensionis occurrendum censuimus. Quare Episcopus, tum pœnis, quouis iure sancitis, in eos animaduertat, qui in ea occasione diem illum festum, vel opere seruili, vel alia actione, illius rationi, sanctitatiq; aliena, uolant: tum præterea expositis grauissimis peccatis, & comōstratis detrimentis, ac damnis, quæ plurima inde animæ, corporiq; eueniunt, fideles sibi in curam traditos, à re illa perniciosâ, quæ tamquam gentilitiæ superstitionis speciē quandam exhibet, et Episcopali cohortatione, & officio reuocare studeat ad oēs partes religionis  
culis,

cultus, quo eorum Apostolorum dies festus illis Calēdis coli, sanctifica-  
riq; debet. Ac proinde quidem, abiectis illis ludibundis spectaculis,  
que turbulenta illa precifarum arborum erectione, voluptario quodā,  
rosanoq; clamore, ac multiplici strepitu agebantur, fideles pietatis  
opera diligentius amplexi, eum diē festum de ecclesie more celebrent,  
hymnis, canticis, supplicationibus, processionibus, alijsq; sanctē agēdi  
officijs. Arborum præterea loco, excitati imitatione Sancti illius Apосто-  
li Philippi, qui pro Dei gloria Cruci affixus est, Sacrosanctum arborē  
Crucis, in qua auctor humane Redemptionis pepēdit Christus Dñs,  
tantò religiosius locis conspicuis publicè erigant, quantò inutilius olim  
profanas eas arbores frondescentes erexerint.

Atqui in omni re hac efficienda, atq; exequenda Episcopus, si quan-  
do ului erit, Magistratum etiam laicorum, auxilium, opemq; implo-  
rabit, prout expedire censuerit.

17 Qui secus fecerit, seuerè plectatur, Episcopi arbitrato.

Vt autē hę oēs de festorum cultu leges ab oibus seruētur, contrā eos,  
qui non paruerint, Ep̄s agat p̄enis, & alijs item remedijs arbitrato suo.

18 Doceant verò populum debere vnumquemque eo potissimum  
tempore, in diuinis officijs, & concionibus audiendis frequentem es-  
se, ac in precibus, recolendisq; Dei maximis beneficijs, assidue  
versari.

Festis diebus Sacrosancto Missæ sacrificio fideles omnes intersint.

Neque uerò excusentur puellę nobiles, neque deinceps uiduę, ne p-  
missu quidem primi nostri Concilij, ob recentem mariti mortem, ne-  
que vilo alio cuiusvis consuetudinis prætextu.

19 Vt verò ij dies omni pietate, & religiosius colantur, hæc crebrò  
populum Parochi, & Concionatores admoneant, atq; hortentur, vt il-  
lorum dierum tempus, quod Deo, eiusque cultui debetur, in ijs actio-  
nibus totum consumant, in quibus sanctē consumendum est.

20 Vt concionem mane, & sacram lectionem à prandio, ubi explica-  
ri solet, audiant.

Vt diuinis, Vesperarum præsertim, officijs præsentēs piè, religio-  
seq; ad sint.

Vt in Christianæ doctrinę rudimentis, ac præceptis, vel percipien-  
dis, uel recolendis versentur.

Vt in operibus, officijsque pietatis se exerceant, ægros homi-  
nes visitando, morientes piè consolando, & alia eiusmodi præstādo.

Vt denique ab illis actionibus, vnde omnis peccandi materia, at-  
que occasio existit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ sunt ill sa-  
cri instituti dies.

21 Episcopi igitur cura sit, uel litaniarū, processiones, vel orationis,  
aliorumq;

1 de fest. dier.  
cultu, §. eo.  
3 de fest. die-  
rū cultu, §. e.  
1. Ibid.  
Const. Pij V.  
inf. de Cōsti.  
num. 11.  
3. Ibid.  
Primum, p. 2.  
quæ pert. ad  
celeb. Missæ,  
§. moneant.  
3. Ibid.





aliarumq; Christianarū virtutum exercitationes instituere, in quibus per festos dies occupati fideles, abducant se à profanis actionibus.

5. quæ ad festos dies, &c.

22 Ne quis diebus Dominicis, festisq; ex Vrbe, oppido, aliove loco, cum iter facturus est, ante discedat, quàm Missæ sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, vbi in tempore interesse possit.

23 Ecclesiastici verò hoies, quicūque sint, ex ij præsertim, qui diuinorū officiorū celebritatib. in choro adesse debent, videant, atq; adeo caveant, ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisque pietatis officijs, & in ecclesia potissimū à clero consumi oportet, iter, nisi ob urgentem causam suscipiant: vt hoc etiam eorū exemplo excitati fideles, sacris illis diebus à diuinis officijs opere itinerario non auocentur.

3. de fest. lie- rum cultu.

24 Sicut Principes, & Magistratus, qui gubernationi præsent, dignitate præcellunt, ita præluere debent, exemplo, quo reliqui incenduntur ad perpetuum piè agendi studium. Quamobrem pro muneris sui officio, eos paternè cohortando, & admonendo Episcopus curet, vt ipi per annum solennibus diebus, & in quibus potissimū humana redemptionis mytheria peraguntur, in Natiuitate scilicet Domini, die Circūcisionis, & Epiphaniarum, in hebdomada Sancta, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in solenni die Corporis Domini, ad Cathedralem Ecclesiam conueniāt, Episcopaliq; Missæ sacrificio, quod solenni ritu fit, diuinisque Vesperarum officijs intersint.

Idem præterea efficiat, cum ob Iubilæum, vel ob aliam publicā causam generales processiones, & supplicationes agantur.

25 Episcopus id curæ, diligentiq; adhibeat, ut tū ex ecclesiæ suæ libris veteribus, manuq; scriptis, tū ex publicis Ciuitatis scriptis, monumentis, & atque aliunde peruestiger, si qui dies sunt, quibus colendis, vel veteri instituto, usq; uel publico voto ciuitas adstricta est, aut alius item quouis diœcesis suæ locus.

26 Qua præterea diligentia utatur in conquirendis reliquis, tam votis, tum piè consuetudinis institutis.

27 Si uerò eiusmodi monumenta compererit, ea diligentius conscripta, in Episcopali Archiuo asseruanda curet.

28 Certosq; illos dies festos, ijs monumentis notatos, coli, & alia huiusmodi pia instituta præstari iubeat.

29-30 Vigiliæ aut, & festi dies Sanctorum, qui publico Ciuitatis voto, aut consuetudine coli debent, diœcesanæ Synodi Cōstitutione ab Episcopo decernantur. Et in Calendarium quotannis relati, die Dominico, prout vnuscuiusq; eorum Sanctorum festus dies in aliquam hebdomadam inciderit populo à parochio denuncientur.

Monimenta verò festi diei, uel piorum institutorū, quæ in aliquo solo diœcesis, oppido, locove voti publici, aut consuetudinis ratione, feruari

seruari oportet, in eius etiam loci parochiali Ecclesia afferentur: cum autem dies illa festus, vel quo pium institutum seruari debet, incidit, parochi sit, die Dominico, proximè præcedenti, illum populo indicare, ac denunciare.

Dominicis diebus parochus non solum festos dies populo denūciat, sed etiam illum sæpè doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum Vigilijs colendis ab eo religiosè prestari oporteat.

31 Eidem præterea significet, atque indicet Stationes, & Indulgētijs, quæ Episcopi iussu promulgandæ erunt, & publicam, si quæ aliquando ob aliquam causam indicta est, orationem, & processiones, & officia mortuorum in sua parochiali Ecclesia obeunda, si quæ eiusmodi in eam hebdomadam incidit, ut fideles, parochi sui voce moniti, aut illis officiorum significatione campanarum sono, cum iam ante commoniti intelligant, quæ preces, quæ officia in Ecclesia fiant: ipsi etiam, quamuis absint, vel domi, vel alio loco, vbicumque sint, piè Deum precentur.

Cum autem dies festus, vel quo pium institutum seruari debet, incidit, parochi sit, die Dominico, proximè præcedat, illum populo indicare, ac denunciari.

In omni Ecclesia Cathedrali, & parochiali, singulis Dominicis, Annũerlatia, quæ in hebdomadam proximè sequentē, in ea Ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idem de septimo, & trigésimo, & alio eiusmodi officio præsterur, qua in denunciatione, Parochus cohortatione illos excitet ad orandum pro mortuis, proposita etiam humanæ vitæ conditione.

*Cetera à parochis seruanda, ipsi diebus festis, videantur in titulo de Parochis.*

32 Quo religiosius incole vniuscuiusque parochiæ festum diem colat, illius Sancti, Sanctæuè, cuius patrocinio parochialis Ecclesia dicata est, cohortationibus parochus, vt pridie eius diei illi sanctè ieiunent, animo piè repetentes, tum ieiunia, tum religiosas alias eius sanctarum uirtutum exercitationes: quarum meritis in cœlum ille vocatus, cum sempiterna gloria perficiatur, pro charitate, qua abundat eorum, quorum salutis patrocinium suscepit, preces Deo offert, ieiunia item, & lachrymas. Tum eidem illos admonere, atque uehementer in Domino cohortari non desistat, vt pietatis Christianæ officijs, sanctis operibus, de bitaque ueneratione, sancti illius diem festum colant, utque ab omni seruilis opere abstinerere studeant.

33 Eodem præterea die sancti, qui parochiæ patronus est, & custos, quo ad illius imitationē magis fideles inflammentur, id parochus præstet, ut peracto uesperarum officio, cum frequentior in Ecclesia populus

3. de parochis, §. eo.

3. de fest. die. cultu, §. Monumenta, verbo eod. 6. Quæ ad finera pert. §. eod.

3. Ibid.

lus adest, aut ipse, aut alius in suggestu, aliove loco superiori, de libro quo illius vita, verè expressa continetur, res eius sanctè, admirabiliter, que gestas, religiosæ vitæ instituta, morum disciplinam, pietatis studia, virtutes, pronunciet.

34 Quoniam verò Sanctissimis Summorum Pontificum constitutionibus, & Prouincialis Concilij primi nostri Decreto sancitum est, ut que apocrypha sunt, in Ecclesia ne legantur: de vitis sanctorum, qui in vnaquaque huius prouinciæ vrbe, Diœcesiuè certis potissimum locis coluntur, liber ab Episcopo conficiatur, doctis, & pijs viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis suæ Ecclesiæ scriptis, ac traditionibus.

35 Sanctorum, qui in Domino dormierunt, sacris sepulchris, & reliquiis colendis, & venerandis, eò maximè augetur gloria Dei, quo religiosius illa coluntur. Quo igitur die sancti alicuius dies festus agitur, si in aliqua vrbe, diœcesiuè Ecclesia, sancti alicuius corpus reconditum est, sacraue eius membra, vel alia insignes reliquie asseruantur; eo die, & significatio detur frequenti campanarum sonitu, & ille Ecclesiæ locus, vbi ea sunt, sacrarum uestium apparatu, & candelarum lumine ornentur, tum ad maiorem cultum diuina officia solennius celebrentur.

5. Quæ ad dies festos, §. eo. Sess. 25. c. 12. de regul.

36 Quos dies festos Episcopus in vrbe, diœcesique sua coli, sanctificarique edixerit, ac præceperit, ij ab uniuersis cuiuscumque ordinis regularibus quauis ratione exemptis, colantur, sanctificentur, atque obseruentur. Dierum autem festorum, quos in ea vrbe, aut diœcesi coli consuetudinis est, ille tabellam conficiendam curet, quam certo Sacrificiæ loco affixam, iisdem etiam regulares habeant.

6. de dieb. festis.

37 Ieiunia præterea, quæ certis præcipuis locis, vbi monasteria illi habent, à reliquo clero, populoque vniuerso obseruari moris consuetudinis est, curet Episcopus, vt ipsi iisdem, sicut cæteri omnes ritè, rectèque colant, celebrent, atque obseruent.

38 Quo religiosius in vnaquaque vicinia, tam vrbe quam diœcesis, dies festi colantur, & sanctificentur, Episcopus certum librum constituat, in quem à Cancellario, cum omnes, singuliq. dies festi parochiales, alijve, qui vbiq. in vicinia aliqua, vel vrbe, vel diœcesis vniuersè, sigillatim agantur, tum reliqui etiam discretè, atque ordine referantur, quibus Indulgentiæ Iubilei, alteriusuè celebritatis causa ad Ecclesias concursus esse solet. Quo libro deprauati præterea mores, abususue notentur, si qui illis celebritatibus esse in ijs ipsis vicinijs solent. Atque ijs quidem diebus excusibendis Episcopus ad cognitionem certam parochos singulos adhibeat, quorum etiam officium sit, si que noua in dies Indulgentiæ Ecclesijs suis accesserit, si quæ alia celebritas,

tas, causave denuo inciderit, quamobrem populi concursus in parochiali vicinia ad aliquam Ecclesiam fiat, de ea Episcopum cutiorem facere, vt illa, quęcumque sit, in eundem librum referatur.

39 Porro eum ipsum librum accuratę exscriptum, notatis mensibus, & diebus, quibus præcipuę illę celebritates singulis in viciniis, locis uę aguntur, Episcopus ad se in singulos menses afferri iubeat; vt cum vniuscuiusque regionis, atque adeo pagi, lociuę celebritatem certo die agi perspexerit, de illius sanctificatione, cultuque litteras etiam pastorales opportunę scribat, tum aliam præterea omnem diligentiam eo nomine adhibeat.

40 Et uero ijs litteris, officij suę parochus, clerusque monitus, vsque ad eod parochorum studiis etiam adiuuentur, vt & vitę sancti, quem præcipua ueneratione colit, exempla ad imitandum, & Episcopi monita paterna, & Decreta quoque prouincialia, diocesanaque eo de genere ad exequendum sibi planę proponat: Sicque a morum corruptelis, quas praua consuetudo introduxit, in festorum dierum sanctificatione abtineat.

41 Si quando dies festus sancti, sanctę uę, cuius celebritas a clero, populoque colitur in diem vigilię, ieiunijque incidit, qđ ex præcepto Ecclesię seruetur; nę fideles ob festi diei solennitatem, quam agunt, id quod a plerisque committi ad nos delatum est, ieiunium vlllo modo uiolent; sed vt instituti ratio Ecclesięque matris præcepto postulat, reuę, pięque colant. Quare Episcopus, si quid istius modi in sua diocesi patrari, committi uę animaduernerit, huic graui peccato, & offensionis, omni pastoralis officij sui ratione occurrere quam diligentissimę studeat.

De Clericorum ad festorum dierum celebritates conuentu.

*S V M M A R I V M.*

- 1 Parochus festis diebus ad alienam Ecclesiam Missam celebraturus, absque licentia, non accedat.
- 2 Quę licentia quibus, & a quibus detur.
- 3 Sacerdotes quot conuocandi.
- 4 Parochi non adhibendi, vbi sacerdotes alij adhiberi possunt.
- 5 Parochus a sua Ecclesia absfuturus, Sacerdotem alium substituatur, & qualem.
- 6 Si substituendum habere non poterit, quid agat.
- 7 Vbi plures vocandi Sacerdotes, qui, & quibus seruatis euocandi.

*In.*

Ibid.  
Ses. 25. De in  
uo. vener. &  
reliq. SS.

- 8 In euocandis Sacerdotib. & clericis, qui ordo seruetur.  
 9 Euocati, in choro superpelliceo mundo induantur.  
 10 Sacerdotes, & Clericique haud uocati, non admittendi.  
 11 Alieno nomine missi, quantum elemosynæ capiane.  
 12 Plures præscripto numero admittentes, non uocati; licentia carentes, eosque excipientes, multandi.

4. de clericorum ad fest. dierum celebrat. cōuētū.

- I** E diebus festis, quæ præcepto Ecclesiæ, aut cōsuetudine uotoue coluntur, ad alicuiam Ecclesiam, Missam celebraturus, parochus accedat, nisi ab eo, cui id cure Episcopus dederit, facultatem, scripto exaratum impetrarit.  
 2 Quam facultatem illi tantum ipsi det, quos omnibus benè consideratis, ad Missarum solennia, diuinaque officia in Ecclesia, ubi celebritas in urbe, diocesiue agitur ritè concelebranda necessarios esse uiderit.  
 3 Quia in celebritate, cum ab aliis Ecclesiis Sacerdotes euocandi sūt, nè ullo pretextu plures euocentur, quam quattuor, uel sex ad summum: id uero nisi uel legati pij, uel fundationis iure aliquando plures adhiberi necessarium sit.  
 4 Item diligenter hoc Episcopus caueat, ut si ad celebritatem sacerdotes alij, quam parochi adhiberi possunt, nè parochos à suis Ecclesiis auocari, abesse uel eadem causa ipsi diebus ullo modo pariat: si uero aliter fieri non potest, uiciniorebus solum parochis, paucioresq; populi multitudinem habentibus, eam facultatem permutat.  
 5 Tum præterea uideat, ut qui parochus festo die ad celebritatem euocatus, absiturus est, Sacerdotè alium, uel ordinarium, uel conductum habeat: qui illo die Missæ sacrificium in Ecclesia parochiali faciat: quique cetera, ut ipse, si præsens adesset, omninò præstet, ante ab Episcopo in ipsis fructibus obeundis probatus.  
 6 Si uero Sacerdotem eiusmodi quandoque habere non poterit, festo die celebritatem, ad quam uocatus est, præcedenti, populo suo significet, se ob eam causam in Ecclesia parochiali Missam celebraturum non esse: sed in ea, ad cuius celebritatem uocatus est; proinde illum moneat, ut ad eam ipsam Ecclesiam, aut aliam propinquiore, ubi Missæ sacrificio interit, se conferat.  
 7 Sin autem pro Ecclesiæ, in qua celebritas a ritu, amplitudine, & dignitate, aliquando ad solennitatem concelebrandam sacerdotibus pluribus opus esse censuerit, alijs item aliquot sacerdotibus, etiam parochijs; hoc det, ut in Ecclesijs suis primum sacro peracto; sique parochi

chi sint,habita etiam concione, ac alijs præstitis, quæ inter Missarum solennia ab ipsis, pro parochialis curæ munere præstari debent, tum ad Ecclesiam,ubi solennitas celebratur, proficiscatur, illius Rectorem in diuinis concelebrandis officijs adiuturi; nec verò desint Ecclesiæ suæ reliquis eo die obeundis parochialibus muneribus, & officijs.

8 In euocandis quidem,admittendis uè Sacerdotibus, & clericis ad dierum festorum celebritates,ratio atque ordo seruetur infra in Decreto de exequiis eorundem euocationi præscriptus ad funera concelebranda.

De funer. & exeq. §. funo-ribus.

9 Illi porrò omnes, qui euocabuntur, in choro dum diuina officia fiunt,superpelliceo mundo decenter induti,semper adsint.

10 Nec verò præter clerum illius Ecclesiæ,alius Sacerdos, clericusue qui ad celebritatem uocatus non sit,in chorum, quouis prætextu asciscatur,recipiatur uè; ne uè elemosynarum quæ in ea celebritate tributa sunt,aut tribuuntur,participes ullo modo sit; nec prætereà in mensa excipiatur.

11 Neque rursus quisquam à Præposito, Archiepiscopo, parochouè missus,plus capiat,quàm si proprio solum nomine esset euocatus.

12 Quicumque præter cõstitutum numerum,aliquem ascierit, qui item minimè uocatus,qui uè sine præscripta facultate accesserit;ac rursus,qui admiserit,qui uè exceperit,qui denique plus acceperit,mulctetur arbitratu Episcopi.

De obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, aliisque Ieiunii diebus, ac sacris quattuor Temporibus, & Feriis, rogationibusque.

*S V M M A R I V M.*

- 1 Ieiunium commendatur.
- 2 Ieiunantes à quibus abstineant.
- 3 Quadragesimale ieiunium quibus diebus præscripta. 1 2. Et eius initium quando.
- 4 Sacra quattuor tempora, ac uigilia, ieiunanda, & quæ faciendum 6.
- 5 Rogationum tempore in Mediolanensi Ecclesia etiam ieiunandum. Et de process. 19.
- 6 Ieiunij lege, qui legati, & soluti. 1 1.

Episco-

*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

- Episcopi, & eius familie ieiunium. De vita & hon. Episc. 19.*  
9 *Quadragesimæ ieiunium, ut religiosè colatur, cauetur.*  
20 *De eius religioso cultu proponendum edictum die Dominico Quinquagesimæ.*  
13 *Cibi Quadragesimali tempore vetiti, quæ ratione vendendi.*  
14 *Qui contrafecerit, quibus pœnis afficiendus.*  
15 *Parochus & fideles accendant his Quadragesimæ diebus ad hanc Concionator præstanda.*  
16 *Vt vitæ disciplina seueriori se astringant.*  
17 *Vt humili amictu utantur.*  
18 *Vt simulates, &c. deponant, carnemque reprimant.*  
19 *Vt Matrimoniali vsu abstineant.*  
20 *Vt a iocis, verbis scurrilibus, otiosis, noxijs, &c. se contineant.*  
21 *Vt à venationibus caueant.*  
22 *Vt ciborum varietates ne exquirant.*  
23 *Vt conuiuia dominicis etiam diebus, ne condicant.*  
24 *Vt in oratione frequentiores sint.*  
25 *Vt eleemosynas vberiores conferant, & oblationes largiores.*  
26 *Vt Ecclesiam sepius frequentent.*  
27 *Vt Missæ sacrificio quotidie intersint.*  
28 *Vt sacris concionibus adsint.*  
29 *Vt Dominicis saltem diebus confessi, Eucharistiam sumant.*  
30 *Aegroti cibos vetitos, sibi concessos, separatim comedant.*  
31 *Id intimi tamen animi dolore, & quare.*  
32 *Iidem caueant, ne alios ad ieiunium uiolandum prouocent.*  
33 *Quadragesimæ, quatuor temporum, & ieiuniorum aliorum diebus manè ius non dicendum; coque tempore quid agendum. 34.*  
*Neque tunc officinæ maneant aperte.*  
35 *Parochi, ante initum Quadragesimæ hæc cum populo agant, videlicet.*  
36 *Dissidentes reconcilient.*  
37 *Concubinariorum a peccandi libidine reuocent.*  
38 *Alios malè viuentes, ad salutis viam perducant.*  
39 *De quibus alijs uirtutibus commonefaciant.*  
40 *Vitia, & crimina detestanda curent.*  
41 *Excommunicationum sententiæ quæ primo Dominico die Quadragesimæ in Ecclesijs de scripto legendæ.*  
*Primo quoque Dom. die Aduentus, & Quadragesimæ, docendus populus quid de solutione decimarum Tridentinum Concilium statuerit.*  
*Quæ pert. ad honorem & uir. &c. num. 27.*  
*Eisdem diebus populo recitandum decretum eiusdem Concilij contra*

- occupantes fructus bona, &c. Ecclesiarum eod. num. 28.
- Die Dominico Aduentus Ultimo, & Quadragesima secundo Decretū de Notarijs pia legata non denunciatis, promulgandum.
- De piorum locorum administr. nu. 59.
- Quadragesimæ initio solennis pœnitentia quibus imponen. De sacram. pœnit. num. 23.
- Promulgandum etiam aliud decretum Concilij tertij. De sacram. pœnitent. num. 4.
- Aduentus, & Quadragesimæ initio confessoriorum regularium nomina ad Episcopum deferenda. De confessorio, num. 32.
- Aduentus, & Quadragesima in eunte, parochus patres familias ad parochialem Ecclesiam conuocet, ibique quid cum illis agat. De patribus famil. num. 5.
- 42 Septuagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis spectacula, ludi scenici, &c. non fiant.
- 43 Neque lauratorum hominum ficta simulachra incendantur, nuptiæ inanes fingantur, &c.
- Ieiuniorum diebus Aduentus, & Quadragesima instantibus inflammentur fideles ad confessionem, & communionem suscipien. De concionat. num. 36.
- Quinquagesimæ Dominico die utilitates ex benedictione cinerum prouenien. ab Episcopo parocho, concionatore denunciandæ. De sacramētis in genere Sacram. num. 54.
- Dominico die Rogationes præcedente, admoneatur populus à Curato, ne esculenta, &c. deferat. De proces. 18.
- Quatuor anni temporibus Episcopus aduocet parochos pro habenda informatione vitæ subditorum suorum. De diligentia adhiben. in statu vniuscuiusque parochi cognosc. num. 6.
- 44 Dominico die, ac quarta feria, ea tempora præcedentibus concio habenda, & cuius tractatus.
- 45 Ea in re officium parochi.
- 46 Sabbato conuentus fidelium.
- 47 Temporibus ijs denunciandis formula præscripta adhibenda.
- 48 Formulæ denunciationis ieiunij quatuor temporum tenor.
- Iis ipsis temporibus eleemosynæ colligendæ pro pauperibus, & quibus. De piorum locorum administr. 53.
- Dominica vero proximè præcedenti eleemosynarum collecta indicenda, ex præscripta formula. Ibidem. 54.
- Sancti, aut sanctę loci patroni vigilia agenda. De fest. dier. cultu. 32.
- Ieiunia edicto episcopali seruanda, etiam à regularibus obseruentur. Ibidem. 36.



Constitutionum, & Decretorum Synodaliū

Ieiunium in diem festum incidens, obseruandum, Ibid. 41.  
Vt in Quadrage. & certis alijs diebus solennibus in vrbe, & oppidijs  
habitent rusticantes, parochi cura. De S. Euch. in cal. adm. 4.

Sess. 24. in de  
cr. de delectu  
ciborum.

1. Quæ pert.  
ad sac. pœnit.  
administr. §.  
eod.

Sess. 25. in de  
cr. de delectu  
cib.



ACRA Tridentina Synodus pastores omnes  
hortatur, atque obtestatur, vt omnem adhibeat  
diligentiam ad fideles cohortandos, vt ea, quæ  
ad domandam carnem conducant præsertim ci-  
borum delectum, & ieiunium, omni studio am-  
plectantur.

Itaque eius nos authoritati, & sacrorum canonū

decretis innitentes, edicimus:

2 Vt omnes carne, ceterisque omnibus, quæ à carne trahunt origi-  
nem, vt ouis, lacte, caseo, butyro, & huiusmodi per totam Quadra-  
gesimam abstineant.

3 Sciantque singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, iei-  
unij lege se obstrictos esse. Sunt enim illi quadraginta dies, quasi to-  
tius anni decima quædam, quæ in oblatione ieiunij, pro fidelium om-  
nium salute, Deo consecratur.

4 Vt per sacra quatuor anni tempora, Vigilijs Natalis Domini, As-  
sumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apostolorum, exce-  
ptis Ioannis Euangelistæ, & Philippi, & Iacobi Vigilijs. Item diei festi  
omnium Sanctorum, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, & beati Laurentij,  
ieiunium seruent.

5 Vt triduo etiam Rogationum post Ascensionem Domini, ex vet-  
eri instituto, in Mediolanensi Ecclesia ieiunium adhibeatur.

6 Edicimus præterea, vt in prouincia nostra proxima quarta feria  
post Quinquagesimam, omnes Quadragesimalis obseruantie initiū  
faciant: præter Ciuitatem Mediolanensem, easque diocesis partes, vbi  
ex Diui Ambrosij instituto diuina officia celebrantur.

Illorum uero damnamus ingluuiem, qui primis quinque Quadra-  
gesimæ diebus, Romanæ Ecclesiæ more institutis, Mediolanum se con-  
ferunt, patriæ ritum in ieiunio, & ciborum abstinentia fugientes.

7 Caueant autem ieiunij cultores, nè dum vetitis cibis abstinent, alia-  
rum rerum delicias, luxuriamque consectentur: immò verò moderato  
cibo, & potu carnis vitia coerceant: vt liberi mentes ad cœlestium re-  
rum amorem, & contemplationem erigant; & ad pietatis opera expe-  
diti inueniantur. Vide etiam seq.

8 Ab his autem omnibus eos excipimus, quos vrgens necessitas, vel  
imbecilla ætas a ieiunij lege eximit; eos etiam, qui euidentis morbi, al-  
teriusve iustæ causæ excusationem habent: sed horum iudicium Episcopo

po tantum, vel ijs, quos ei muneri ipse præfecerit, scripto faciendum relinquimus: idque quò ad morbum attinet, de medici consilio.

Quod autem ex diuinarum litterarum sententia, parū homini prodest, se per ieiunium cibo temperasse, si animus in peccatis sit intemperans: idcirco fideles in ieiunio præcipuè studeant, vt dum caro ab alimentis abstinet, mens pariter à culpa ieiunet: omnesque in Dei laudibus, eleemosynis, alijsq; piis officiis occupentur: hoc est enim ieiuniū, quod se Dominus Esaiæ ore delegisse testatur.

9 Omnis sacrorum temporum celebritas, cūm ab Episcopo singulari sollicitudinem tum à populo obseruantiam, cultumque ei solennitati debitum planè deposcit. Atque in ijs quidem vnum, quod piè, religiosè, sanctèque colà à fidelibus maximè oportet, totum Quadragesimale tempus virtutum Christianarum disciplinæ, atque exercitationibus dicatum. Est enim plenum sacris mysterijs, quodq; non sine mysterio magnam illam Paschæ Resurrectionis Domini celebritatem, qua vna omnium solennitatum dignitas, inquit Leo Pontifex consecrata est, proximè præcedit. Fuit porro ieiunium Quadragesimale à Christo Domino dedicatum, & ab Apostolicis vsque temporibus in vniuersa Ecclesia Dei religiosè obseruatum perpetuò: atque ita quidem, vt qui in Quadragesima, quemadmodum olim Canone Tolerano cautum fuit, neglexerit, cōtempseritve, Quadragesimalis abstinentiæ, ieiunijq; disciplinam, prohibitisq; cibis illam violarit, is non solum reus censeatur Resurrectionis Dominicæ; sed etiam alienus fieret ab eiusdem diei comunione, ac præterea toto illo anno carniū esu abstineret. Quare, vt tempus hoc sacrum, tamq; religiosum, in quo colendo, sanctèque obseruando veterum pietas mirificè admodum eluxit, à prouincie nostræ fidelibus, maioris obseruantia studio, abstinentia, ieiunijs, eleemosinarum largitionibus, oratione, continentia, carnis maceratione, omniq; salutaris pœnitentiæ disciplina colatur, hæc, ut infra, sancimus, atque edicimus, præterea, quæ superioribus Concilijs sancita, & constituta sunt.

10 Quæ omnia, & singula, Episcopus curet, ac efficiat, ut vulgari sermone reddita, quotannis die Dominico, Quadragesimæ initium proximè antecedenti, populo in omni sua dicecesi, proponantur, edicatur, ac promulgentur: ita tamen, ut ijs ipsis ab illo, pro arbitrari suo addi liceat.

11 Omnis igitur, quem vrgens necessitas, vel imbecilla ætas à Quadragesimali lege non eximit, quocumque etiam gradu, ordine, potestate, dignitateve præditus sit, carne, ceterisq; omnibus, quæ, vt Concilio Prouinciali primo cautum est, à carne originem trahunt, vtpotè ouis, lacte, caseo, butyro, & alijs id generis, toto Quadragesimæ tempore,

G absti-

Esai. 68.  
5 que ad dice  
festos, &c.

*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

abstineat, ijs exceptis, quos ob iustas causas Episcopus, aut illi, quibus eam curam ipse delegarit, facultate, ut infra, eaque scripta, speciatim, excusarint.

**12** Omnis præterea quicumque sit, qui ieiunij lege astrictus est, singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, ieiunium seruet: alioqui enim peccato mortali alligatum se esse nosse debet.

**13** Ne cibi vetiti, ad agrotantium, imbecillumque hominum usum passim venales publicè exponantur, sed certis tantum constitutis locis.

Ne tabernarum valuis omnino patentibus, sed magna parte clausis, vendi liceat.

Ne in foro, aut in via publicè unquam exponantur, ne à rusticis quidem, alijsve cuiusvis generis hominibus.

Neque passim item ab omnibus vendi fas sit, sed ab ijs solum, quibus facultatem, litteris exaratam, Episcopus permiserit.

Nec verò omne carnis genus ab ijs vendi liceat, sed vitulinum, & aliudve, quod usui sit agrotantium corpori.

Neque omnibus vendatur licet, sed ijs solum, qui scriptam ab Episcopo facultatem habuerint. Quæ facultas etiam nullo tempore præfinito, data, tunc planè extincta sit, cum primum causa, ob quam data est, cessarit.

At verò si decem dierum spatio diuturnior causa erit; iterum ea facultas impetretur: alioqui rescissa sit. Idem deinceps decimo saltem quoque die fiat quamdiu opus erit.

Nec verò sine ea scripta facultate, ac sigillatim, nominatimque data, caupona, tabernarij, & alij, qui cenaculariam faciunt, eos uentos in Quadragesima cibos uendant, venales uè exponant, etiam hospitibus, peregrinis, viatoribus uè, quales, quales sint. Nec uerò eos mensæ apponant.

Nec præterea illos, alio loco coctos, condimentis uè apparatus, non modo in caupona, taberna, hospitio uè suo, aut loco curæ suæ subiecto, comesse cuiquam permittant, sed ne aliunde quidem apportari, nedum in mensa apponi patiantur.

**14** Quicumque uerò contra sanctionis huius capita quicquam cōtrafecerit, is pœnis, multis uè, in locorum piorum usum erogandis, & censuris, aliisque Canonum iure, & Pontificijs Constitutionibus omnique alio modo contra Quadragesimæ uiolutores, sancitis pœnis, uel aliis, quas pro personæ ratione, & culpæ, cōiuncti uè grauitate Episcopus arbitrato suo irrogandas censuerit, afficiatur.

**15** Sacro præterea Quadragesimæ, & aliorum ieiuniorum tempore, quæ religiosè olim à Christianis hominibus præstita esse, & sanctissimi Pontifices, & grauisimi Ecclesie patres, & Canonum decreta

olleg-

ostendunt, vt ea pro gloria Christi Domini, proque studio salutis animarum, in quo quisque adiutrice Dei gratia, omni sanctorum actionum spiritualium exercitationum, & salutarium operum contentione, vt maxime potest, elaborare debet, a fidelibus provinciae nostrae praestentur, Dominum omnipotentem suppliciter exoramus, ac monemus. Atque ea quidem haec sunt, ad quae exequenda suum quisque populum parochus, & Concionatores item, vt occasio tulerit, omni verborum vi sanctissima, omniq; suasionem accendant.

16 Primò ijs Quadragesimalibus, aliisque ieiunij, poenitentiae, & publicae supplicationis diebus, fideles se vitae disciplina seueriori astringant: sanctisque institutis, & moribus, sacro illi tempore conuenientibus, se, suosque qui patresfamilias sunt, quam rectissime in omnes partes conforment.

17 Pretiosas vestes non induant, sed amictum, si non humilem, & demissum omnino, at cum poenitentiae, ieiunijque tempore congruentem.

18 Simultatem, odium, inimicitias, rixas, deponant, pacem cum omnibus concilient.

Carnis vim, impetum, non modo religiosa abstinentiae, ieiunijque lege, sed cilicio, & verberationis disciplina coerceant, & humi aliquando cubent, vt à pijs etiam laicis factum esse, memoriae prodium est.

19 Cum autem id olim obseruatum sit, vt per totam Quadragesimam ab uxore fideles abstinerent, ad Elibertani Canonis praescriptum, minerint, qui matrimonio iuncti sunt, studendum sibi, vt eo sacro tempore, mutuo consensu, diebus saltem Dominicis abstineant, vt hoc de genere sanctissimi Pontificis Nicolai Primi, rescriptum extat.

20 Omni tempore à iocis Christianum hominem abstinere conuenit, at Quadragesimae, ac ieiunij tempore, tanto diligentius, quanto frequentius, studiosiusque orationi, abstinentiae, omniq; poenitentiae generi incumbendum est. A iocis igitur, à verborum scurrilitate, à colloquio inani, otioso, longaeque cautius à noxio, & criminoso, se continere sacro poenitentiae tempore studeat, vt Pontificio, Apostolicoque illo rescripto canetur.

21 A venationibus item, vt eodem rescripto continetur, abstineat ite, eo ipso Quadragesimali tempore, quo neque carne vesci, neque adeo carnalia consecrari licet.

22 Ciborum Quadragesimalium suauitates, ac delicias ne exquirat: nec multiplici epularum apparatu mensam exstruat, sed frugalem parsum adhibeat.

23 Conuiuia autem in Quadragesima non condicat, nec verò apparet, ne Dominicis quidem diebus, vt idem Nicolaus Pontifex rescribit.

*Constitutionum, & Decretorum Synodaliū*

24 In orationis studio frequentior sit: dolenter peccata, & sua, & aliena lugeat: pro quibus Dei misericordiam omni pietatis, pœnitentięq; officio impleret.

25 Eleemosynas, cū per facultates potest, vberiores pauperibus, egenisq; in sustentationem conferat, in aliq; pietatis officia, atque opera liberali charitate eroget. Oblationes offerat largiores.

26 Frequentius ad Ecclesiam conueniat; Psalmis, Hymnis, canticis spiritualibus, precumq; diuinis officiis, omni attentione, & religiosa meditatione assistat.

27 Missæ sacrificio quotidie intersit, alia omni negociatione posthabita.

28 Diuinis colloquijs, sacrisq; concionibus præsens adsit.

29 Moneatur, vt item sanctitati ita incumbat, vt singulis Dominicis saltem diebus confessus, sacram Eucharistiam sumat, si singulis diebus non potest: id quod olim in consuetudine, vsuq; fuisse ex eiusdem Nicolai Pontificis rescripto, liquido constat.

2. tit. 1. Decreto 20.

30 Quibus, ob infirmam valetudinem, aut ob aliam iustā causam permissum erit Quadragesimæ diebus, carne, aut aliis eo tempore vetitis cibis vesci, eos Parochi piè illud admoneant, ne publicè, neve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori ac dū loco, eius generis cibum capiant, ut ob corporis imbecillitatem, aut morbum potius, quo laborant, quàm ob ingluuiem facere cognoscantur.

5. Quæ ad dies fest. &c.

31 Aegroti, cum per inualetudinem corporis ieiunare non possint, quodam intimi animi dolore, gemituque, vt Sanctus Augustinus monet, cibum capiant, pro eo, quod alijs ieiunantibus, ipsi abstinere non possint.

32 Caueant autem, quod alio Prouinciali Concilio ex eiusdem Sancti Augustini sententia cautum est, ne alios suo exemplo ad violandum ieiunium prouocent.

4. de feriis.

33 Quo tempore ad salutem animæ toto corde, totaq; mente, atque omni Christianæ pietatis officio incumbendum est; in iudiciali foro tunc aditus patefieri non debet, ad iudicia, ad lites, & ad causas, quibus sepè distrahuntur homines a pietatis officijs: ne aliquando Isaię propheta illis vocibus nos Dominus grauius arguat; Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. Quare ne Quadragesimę, quatuor Temporum, & aliorum ieiuniorum diebus, id quod & Liberij Pontificis Maximi, & Concilij Triburiensis. Canone sancitum est, in aliquo foro, mane, quo tempore Missæ sacro, diuinis officijs, & verbi Dei prædicationi Christianos homines interesse potius oportet, iudicatur, iudicia exerceantur, aut quicquam agatur, quod ad iudicij for-  
rensis.

rensis ordinem pertineat. Id verò pro pastorali gregis Dei cura, quàm suscepit Episcopus, ab omnibus præstari quàm diligentissimè studeat.

34 Nihil nõ aggrediuntur, atque omni astu semper agunt hostes fidei Catholicæ, vt impietatum suarum virus disseminent: venenatasq; suas voces in omnium aures infundant. Ecclesiæ igitur pastoribus, omni, quomaximo possunt, studio elaborandum est, ut cum omni tempore, ac diligenter, tum in Quadragesima, verbi Dei prædicatione, tâquàm pabulo vitæ, fideles nutriantur, atque confirmentur.

Quamobrem quod multis huius prouinciæ locis, & alijs bene institutis Ciuitatibus antiqui, religiosique instituti est, vt eo Quadragesimali tempore, quo frequentissimi fideles ad prædicationem conueniant, nullæ neque tabernæ, neque officinæ patentes vsquam sint, dum concio sacra habetur, id, quod sanctissimæ consuetudinis est, vt perpetuò retineatur, omni officio Episcopi omninò efficiant: vbi verò hoc ipsum, vel intermissum, vel in more positum non est, vt ad usum inducatur, atque adeò restituatur itidem curabunt Episcopi.

35 Parochi hebdomada, Quadragesimæ initium proximè præcedente, populum, curæ suæ commissum, ad se conuocent: tum hæc cum illo grauitè, sollicitèq; agant, prout antiqui, religiosiq; instituti, & consuetudinis in Ecclesia sancta fuit.

36 Vt canonica auctoritate reconcilient, si quos in eo dissidentes scierint, dissensionum semina extirpare studentes.

37 Concubinarios homines ab illa peccandi libidine, vt maxime possunt, reuocent: proinde sanctiones Episcopales, eo de genere hominum editas cum de scripto legant, tum communi sermone planius explicent.

38 Singulos, denique à Christiana uiuendi via aberrantes, ad semitam iustitiæ, & salutis studiosè perducant.

39 De humilitate, patientia, castitate, benignitate, misericordia, elemosynis, pœnitentia, cæterisque Christianæ Religionis virtutibus omnes accuratè commonefaciant, vt Cabilonen sis Concilij Canone, piè, vtiliterque cautum est.

40 Rursus vitia, & crimina, pro quibus homines, sicut eiusdem Concilij uerbis expressum est, cum diabolo deputantur, detestanda, fugienda, atque adeò abijcienda omninò illa quidem curent, atque in ijs, quæ ab Apostolo, commemorantur, fornicatio scilicet, immunditia, luxuria, ueneficia, inimiciæ, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, ebrietates, commessationes.

41 Quæcumque excommunicationum sententiæ, uel à Summis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & prouincialium

5. Ibid.

3. de ijs, quæ ad pœni. fact. pert.

Mediolanensium Conciliorum decretis, uel diœcesanarum cuiuscūque Urbis synodorum Constitutionibus latæ sunt, quibus ipso facto, uel iure homines irretuntur, hæc omnes, summam uulgari sermone expressæ, & in tabellam aliquam ordinatæ, die primo Dominico Quadragesimæ in singulis Cathedralibus Ecclesijs, de suggestu frequenti populo de scripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in parochialibus illis Ecclesijs singulis, ubi id fieri Episcopus expedire censuerit.

3. de fest. die-  
rum cultu.

42 Sudeat etiam Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia mater, & officiorum ritui, & hymnis, canticisque fidelium mentes ad castitiam, acque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac preparat tot antè diebus ad sanctè recolendam Christi Domini Passionem, & Crucem, eo potissimum tempore fideles, sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, & alia, quæ gentilitatis speciem præ se ferunt, tunc præsertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tamquam à sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia, omnimò fugientes, ad pietatis Christianæ studia, & ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.

4. quæ ad fe-  
stos dies, &c.

43 Graue est, nec propterea ferendum, ut quibus diebus sancta Ecclesia ad ieiunium, ad pœnitentiam, ad omneque pietatis officium animos fidelium excitare, & accendere studet, in ijs maximè sæculi homines operibus Sathanicis operam nauent.

Quare corruptelam illam, quam in nonnullis prouinciæ huius Urbibus, locisque insignibus, deprauato usu adhuc retineri accepimus, ut primis illis sacri Quadragesimalis temporis diebus laruatorum hominum efficta simulachra incendantur, inanes nuptiæ fingantur, concursationes nocturnæ, tumultusque fiant, radicibus euellere cum maximè cupiamus, hoc decreto vetitum, interdictumque sit, ut ne quid tale in posterum, neque quicquam aliud eius generis religioso illo tempore usquam fiat, agatur, committaturve: nec verò agi, fieri, admitti, permittatur, pœna ijs omnibus, & singulis, qui contrafecerint, interdicti proposita, quam eo ipso subeant.

Parochus uerò, in cuius parochiæ finibus id criminis, etiam si à pueris solum, qui tamen doli capaces sint, committi solet, primò in eam curam ipse incumbat omni studio, ut ne offensiones hec peccataque id generis fiant. Deinde verò si occurrere nullo modo poterit, rem omnem in tempore, si in Urbe est, ad Episcopum, si in diœcesi, ad Vicarium foraneum deferat, quo uel aliis rationibus, uel

vel grauiori pœna eiusdem Episcopi arbitrio, ijs morum erroribus consulunt, ac prouisum sit omnino.

44 Sacra quatuor ieiuniorum tempora, ex sancti Spiritus doctrina salutariter instituta, sicut olim, & frequenti fidelium conuentu, & solenni celebritate, & religioso supplicationum officio colebantur, ita ad illorum cultum, pastorali cura eruditissimorum mentibus, in usum antiquæ pietatis reuocanda sunt. Quare in omni Prouinciæ nostræ Ecclesia, vel cathedrali, uel parochiali, non solum die Dominico, illa tempora præcedenti; sed etiam ubi populus erit frequens, feria quarta proximè sequenti, eo de genere concionem sacram haberi statuimus: qua fideles excitati, solennibus his feriis, quarta scilicet, sexta, & sabbato, pro antiquæ deuotionis consuetudine frequentiores Missæ sacro, diuinisque officiis, ut in Moguntino Concilio primo cautum est, intersint, orationes, ieiunia, elemosynas, cæteraque pietatis opera præstent: quibus, quò specialius illæ ferie præstitutæ sunt, eo uehementiori Christianæ virtutis contentione ad illa paratos esse oportet.

4. de sacris  
quatuor tem  
por.

45 Ad quam diligentiam parochi præterea fidelium charitatem omni religioso proposito ita preparare studeant, ut unanimitè auxiliante Christo, statutum illarum feriarum solennitatem, religiosiorum operum sollicitudine celebrantes, Sabbato sub Vesperum frequentissimi ad Ecclesiam, ut piæ consuetudinis fuit, conueniant: ubi sanctis precibus, cum pro sacra ordinatione; tam pro his commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia habeatur, sicut, & instituta illorum temporum ratio, & Christianæ religionis cultus deposcit.

47 Idem stas ijs temporibus, populo denunciandis, formulam hanc, ex Sanctissimi Pontificis Leonis Primi, uerbis conceptam, adhibeant: cuius sententiam, etiam uulgari sermone explicent uberius.

48 Quod sacrorum temporum ratio, & deuotionis Christianæ admonet consueto, paterna uobis dilectissimi, sollicitudine denuncians, mensis. N. sacrum celebrandum esse ieiunium, diuinitus inspirata doctrina præceptum, ac stas mensium curricula distributum: ut lege abstinentiæ omnibus adscripta temporibus, & alijs Christianæ militiæ præsidis, ad mentium nostrarum, corporumque sanctificationem diuinæ institutis, stato dierum interuallo, sine cessatione renouatis, nos ardentiori cura, maiorique studio in salutis cursu progrediamur, quò specialius præstituti sunt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, sexta feria, & Sabba-





tho ieiunemus: frequentes in cathedrali, parochialiſque Eccleſia ad Litanias, orationemque conueniamus, & quò ſacris illis ferijs à cibo abſtinentiores eſſe debemus, eo abundantiori eleemoſynarum liberalitate, erga Chriſti pauperes effuſiores ſimus: tum Sabbatho ſub velperum orationem parochialem communem celebremus: qua, & pro ſpe felicitàtiſ aeternae, ad quam per fidem currimus, & pro ſacra ordinatione, quam eo die à Reuerendiſſimo Epiſcopo haberi ſolenne eſt, & pro ijs commodis, quae ſingulorum annorum reuolutione conſequimur, Deo omnipotenti, gratias agamus: eundemque religioſis ſupplicationibus oremus, quatenus Sanctorum, quorum patrocinia imploramus, ſuffragantibus meritis, eius miſericordiam in omnibus impetremus, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum patre, &c.

De Oratione.

SUMMARIUM.

- 1 Oratio noſtra indigentiae interpres.
  - 2 Inſtitutio orationis communis ſeu veſpertinae.
  - 3 Indulgentiae eius rei cauſa conceſſa, quando à parochis publicanda.
  - 4 Certa hora, & campanarum ſigna praſcribenda, ad conueniendum. 6.
  - 5 Calamitatibus imminentibus à clero, & populo, ex praſcripta ratione, orationi vacandum. 14.
  - 7 Vbi Sacerdos, vel clericus deſit, qui hoc ſignum det, quae ratio inuenienda.
  - 8 Oratio quando in Eccleſia facienda.
  - 9 Quando item in oratorijs, capellis, &c.
  - 10 Vt ſaltem in oratorijs fiat Sacerdotum, & clericorum opera requiritur.
  - 11 Domi, quando fiat.
  - 12 Matutinae orationis quotidianae communis uſus, etiam introducendus.
  - 13 Vbi exercendus.
  - 15 Parochi cura procellis imminentibus.
  - 16 Eiuſdem & officium in admonendo populo, vt ante operis inchoationem, oret.
  - 17 Vtque cibum benedicat, & eo ſumpto gratias Deo agat.
- Orantibus ſine intermiſſione, quae indulgentiae conceſſae. De indulgentijs, num. 14.

*Quæ & orantibus in eleuatione corporis Domini, Ibid. num. 15.*  
*Quæ item comenientibus ad orationem 40. horarum, ad concionem,*  
*Missam maiorem, Vesperas, Completorium, & ad orationem, proces-*  
*sionemq; sub vexillo: ac ad Missam Congregationum foranearum,*  
*Ibidem. 13. 16. 17.*

*Initio quarum Congregationum, quæ oratio dicenda. De foro Episco-*  
*pali. 2.*

18 *Oratio pro Defunctis, vespertina introducenda.*

19 *In vnaquaque diocesi instituenda.*

20 *Prima hora noctis facienda, & in Vrbe, in Cathed. Ecclesia.*

21 *Fidelis minuscuiusque officium.*

*Parochi ad illius studium suos parochiales inflamment: indulgentiam*  
*denunciando orantibus pro Defunctis concessam. De indulgen-*  
*tijs. 18.*

*Indulgentiæ eiusdem concessionis litteræ. De Constitut. nu. 46.*

*Oratio Quadraginta horarum, quo loco, & modo habenda. De oratio-*  
*ne Quadrag. hor. 2. & 3.*

*Oratio, quibus in Ecclesijs instituenda pro summo Pontifice ægotan-*  
*te. De diuin. off. num. 48.*

*Quibus etiam in Ecclesijs instituenda pro ægotante Episcopo. Ibi-*  
*dem. 46.*

**V**NA omnium optima indigentia nostra interpres, & conciliatrix eorum, quæ necessaria, tum ad animæ, tum ad corporis bona à Deo patre expetuntur, est oratio sancta. Cuius studium, ut proprium fidelium est, sic necessariū, atque omnino iussu diuino debitum: id celestis magister, Christus Dominus, exemplo do-

3. de iis, quæ ad matrimonii Sac. pert.

quit, verbo præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur studio fideles, quò vehementius exardescerent, seseque quotidie singuli certa hora colligentes, id quod Christianarum mentium est, vitæ à se illo die actæ rationes inspicerent, malæque actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam precarentur, & Deo gratias agerent de beneficijs, quæ acceperint.

2 Instituta est in hac prouincia orationis cõmunis exercitatio, quæ ad Christianæ pietatis progressionem introducta ut & perpetuò conseruetur, & augeatur item, id cum omni studio Episcopus curet, tum propositis spiritualis gratiæ muneribus, sedis Apostolicæ benignitate, eius rei, causa concessis.

3 Itaque à parochis suis singulis sanctissimi Dñi N. Gregorij XIII. litteras

litteras de Indulgentia, huius provincie hominibus concessa, qui in orationis communis instituto sese exercuerint, ter in singulos annos descripto, vel summatim pronuntiari iubeat, semel ineunte Adventu, iterum Dominico die Quadragesime primo, tum solenni die Pentecostes.

4. Episcopus præterea pro temporum ratione certam horam statuatur, qua datis huius rei causa campanarum signis, patresfamilias, suæ quisque domi, una cum reliqua familia certo loco ad orandum conveniant. Ut autem, qui in eo precandi instituto se exercuerint, Indulgentiæ concessæ donum consequantur, diem eisdem Dominicum Quadragesimæ, proximè præcedentem, is constituatur, quo illi confessi omnes simul sacram Eucharistiam sumant.

5. Imminentibus verò calamitatibus, quo tempore cum nullum certius præsidium sit, quàm illud, ut fideles ad Deum patrem misericordiarum assiduis precibus confugiant, certam aliquam præterea rationem is diligenter inear, ut & à clero, & à populo sine intermissione, ac religiosius in orationem incumbatur.

4. de orone.

6. Orationis vespertinæ, olim in hac provincia institutæ, signum distinctis campanæ ictibus, ut Episcopus præscripserit, detur. Vbi verò in vicis, & pagis, ob campanæ exiguitatem, sonus ita difficiliter exauditur, non intermisso, sed continenti sono per horæ quadrantem illius significationem fieri, si ita censuerit, iubeat Episcopus.

7. Rursus, qua in ecclesia parochiali, diocesis præsertim, ob uacationem, uel ob aliam causam, nullus, uel sacerdos, uel clericus aliquando est, qui huius orationis signum campana det, alia per Episcopum, uel Vicarium foraneum ratio inear, qua illius significatio fiat, campanæ item sono.

8. Vbi domicilia, inter se proxima, aut continentia sunt, in ecclesia, tum maxime diebus festis, illam à populo fieri convenientius est, quem frequentem convenire, omni officio parochus curet. Ipse verò si adesse neglexerit, intermiseritve, mulctetur Episcopi iudicio. Curet autem parochus, ut in Ecclesiam non tardius multò ducatur, quam ad statam horam, qua sub crepusculum noctis Salutationis Angelicæ signum datur.

9. Si ex pagis, & vicis, præsertim frequentioribus in Ecclesia parochiali fideles difficiliter convenire possunt: quoniam ab ea aliquantulum illa loca distant; constituatur Episcopus Ecclesiam, aut capellam, Oratoriumve illis singulis propinquiorem, aut commodiorem, aut denique crucem, sacramve aliam imaginem in trinito erectam.

erectam, quo etiam sub dio ad orationem vespertinam convenire liceat.

Quæ orationis ratio in capella, in oratorio, vel in Ecclesia, quæ parochialis non est, etiam adhiberi poterit. Si quando præterea, alijs etiam diœcesis locis, pluviam vis, niues, aliave temporis gravitas, itineris difficultati adiuncta, difficiliorem fidelium conuentum ad Ecclesiam parochialem faciat, ne ob ullam causam à tam salubri orationis instituto, & multiplicibus Apostolicæ Sedis privilegijs commendato, villo die populus desistat.

10 Quo in officio in ijs locis adiuvetur, maximè opera sacerdotum, & clericorum quorundamq; illius pagi, locive.

11 At ubi, neque his rationibus fieri poterit, vt fideles omnes vniuscuiusque loci in vnum conveniant ad hanc orationis communis exercitationem, domi saltem ab vnoquoque, qui ad Ecclesiam non convenerit, cum familia sua certo loco fiat.

12.13 Norint porrò fideles, quod etiam Concilio Aurelianensi quæto olim iussum est, sibi sæpius singulis diebus orandum esse: quod si aliquando frequentius non possunt, saltem non vesperti solum, sed etiam mane id à se præstari oportere. Quare Episcopi cura sit, illam vespertinæ orationis quotidianæ communis usum, mane etiam, paulo scilicet ante auroram, aut sub ortum Solis, id quod in plerisque huius prœvinciæ locis iam servari cœptum est, vbique locorum, cum in Urbe, tum in diœcesi sua paulatim introduci, atque ea ratione institui, vt, vel in Ecclesia, vel suæ quique domi, cum familia certo loco, vel in officinis, tabernisve, vel in iplis etiam agris, atque ad eò in itinere, vel in alijs denique locis, ubicumque, (villo Concilio cautum est,) ea matutina hora sunt, & patres familias, & liberi, & famuli, & artifices, opificesve, & operæ, institoresve, & ceteri quicumque sunt, siue mares, siue scemina, huius matutinæ orationis officium, antequam artificium, negotium, remve ullam aggrediantur, precibus, litanijs, omnique oratione, ac toto animo, menteq; vacent; sicque quotidianarum actionum, operum, & negotiorum initium à Deo faciant, finemque itidem, & 16.

14 Nimbis, procellisve imminetibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, campanis sonetur, tum ad tempestatem vi diuina, quæ ex solenni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendam, tum ad Dei misericordiam implorandam Christianæ pietatis orationibus: ita fideles, earum sono tunc excitati, in ecclesiam, vel cathedralem, vel parochialem, vel in aliam saltem propinquiorem ad orandum conveniant: si minus possunt, saltem ubicumque sint, siue domi, siue foris, supplices Deum orent, tum clerici, Psalmis,  
Lita-

Litanijs, precibus, & orationibus, quæ ex ritu sanctæ Matris Ecclesiæ ad arcendam tempestatem dicuntur, Dei misericordiam deprecantur.

15 Parochi verò in primis sit, cùm in ecclesia sua hoc officium religiosè præstare ad præscriptum libri Ritualis, aut Sacerdotalis, tum sollicitè conuocare clericos, & populum, vt ob eam causam Deum sanctè precaturi, ad ecclesiam frequentes concurrant. Idque ipsum, prout in concionando vsu uenerit, aliquando fideles paternè, diligenter quæmonere meminerit.

5. de oratione ante op. in choar.

16 Non decet Christianum hominem, opus aliquod ante suscipere, aggredive, quàm Dei auxiliū religiosè precibus imploret. Dixit enim Dominus, sine me nihil potestis facere.

Parochus igitur, cuius est populum ad optima quæque instituta erudire, Concionator item illum, prout vsu uenerit, cohortetur, ac moneat, vt neque publicè, neque priuatim quicquam aggrediatur, nisi primo sanctis precibus Deo adhibitis.

17 Neque cibum sumat, antequàm stata prece benedicat. Post cibum, item Domino gratias precatione agat. Id enim à nobis expectat, qui nos pascit Deus, vt pro præstitis ab eo scis illi gratias referamus, & saturati donis ipsius, laudes ei dicamus, inquit sanctissimus Pater noster Ambrosius.

6. quæ ad funera pert.

18 Pro fidelibus defunctis religiosas Deo preces, orationem quæ adhibere officium est salubre, illud quidem sanctum, Christianè quæ pietatis studio planè dignum. Quam ob causam Summus Pontifex Gregorius XIII. Romæ instituit, prima hora noctis pro illis in singulos dies piè orari: cuius exemplo nobis ad imitationem proposito maximopere excitati, cùm iam pridem proximis annis orationem vespertinam quæ communem dicimus, pro uiuis decreuerimus, hanc alteram pro mortuis iam nunc constituimus.

19 Itaque vnusquisque Prouinciæ Episcopus, pro salutis animarum zelo, quo præcipuè incensus esse debet, in eam curam incumbat, vt vbique locorum in sua Diocesi religiosè celebretur, omni quæ ardentissimo charitatis, & precationis spiritu.

20 Illius horam pro ratione temporis, vel brumalis, uel æstiuæ, pro quæ prudentia sua, sub primam noctis vigiliam ita statuatur, vt iam decretæ oratio vespertina nullo modo impediatur.

Præfinit in Vrbe Basilicam Cathedralè, & certas alias ecclesias, in quibus stata hora, stato quæ campanæ signo significatio huius orationis, precationisue fiat.

21 Vnusquisque autem fidelis, ubi sit, vel domi, vel foris ad memoriam mortis excitatus, primum paulisper tacitus in mortis suæ, quam breui

brevi fortasse obibit, meditatione versatus, tum se accendat ad orationem pro mortuis, quam Psalmo, De profundis, aut precatione Dominica, & Salutatione Angelica sæpius repetita intimo religiosi cordis affectu perorabit, ut Defunctorum animæ, è Purgatorij supplicij ereptæ, Dei misericordia ad sempiterna cœlestis vitæ premia perducantur. *Quod sequitur videatur in Titulo de Indulgentijs. 18.*

De Religiosis Peregrinationibus.

S V M M A R I V M.

- 1 Peregrinationi clericorum præscripta ratio.
- 2 Sine dimissorijs litteris &c. non peregrinetur: quibus hæc adscribenda. 3.
- 4 Peregrinationis comites.
- 5 Substitutio in parochiali, capella, aliove beneficio.
- 6 Confessio peccatorum, Missæ celebratio, vel communio, &c. antè peregrinationis initium, & cum ad peregrinationis locum peruentum fuerit. 19.
- 7 Qualitas habitus, & tonsuræ.
- 8 Horarum canonicarum recitatio, ieiuniorumque observatio.
- 9 Missæ à Sacerdote quotidie celebratio, vel præsentia, etiã clericorũ.
- 10 Itinerarij recitatio.
- 11 In itinere boni exempli præstatio.
- 12 Hebræorum, & mulierum societatis vitatio, etiam in cauponis. 17.
- 13 A profanis cautionibus, &c. seiunctio, & abstinentia.
- 14 Mendicationis prohibitio.
- 15 Ecclesiæ visitatio, ante hospitij ingressum.
- 16 Hospitiorum vitatio, ubi alibi excipi possint.
- 18 Mense benedictio: & gratiarum actio.
- 20 Susceptæ peregrinationi intentio, curiositatum vitatio, & ecclesiarum deuota visitatio.
- 21 Alio uagandi prohibitio.
- 22 Episcopi, uel Vicarij aditio post peregrinationem, testimoniique sanctæ peregrinationis exhibitio.
- 23 Laicis quoque peregrinandi hæc ratio præscripta, Consilij sanctæ peregrinandi à parochio captio, litteræque Episcopales, & cuius facultatis.
- 24 Benedictionis à parochio petitio.
- 25 Confessio, & Eucharistiæ sumptio ante discessum, & ubi ad loca uisitanda peruenerit. 35.
- 26 Deuotionem impediuntium euitatio, ieiuniorumque observatio.
- 27 Missæ auditio, & Eucharistiæ sumptio.

Itinerarij

Constitutionum, & Decretorum Synodaliū

- 28 Itinerarij recitatio.
  - 29 Eleemosynarum largitio, & orationi, meditationibusq; instantia.
  - 30 Hebræorum certarumque mulierum in curru, nauigio, hospitio, vitatio.
  - 31 Profanorum canticorum, & colloquiorum praeque societatis, etc. abstinentia.
  - 32 Mendicationis prohibitio.
  - 33 Ecclesie aditio, ante hospitij introitum.
  - 34 Sacrorum locorum, & reliquiarum deuota uisitatio.
  - 36 Benedictio suscipienda à parcho post reditum.
- Peregrinationis causa absentes, distributionum non fiunt participes.  
De distribut. num. 33.

Quartū, de  
reig. pere-  
grin.

1



T ex Sanctorum Patrum institutis fideles pro-  
uincia nostræ sanctas peregrinationes suscipiāt,  
salutisque vberiore fructum, diuina auxiliante  
misericordia inde capiant: hæc illis seruanda  
proponimus: ac primo ecclesiastici ordinis  
hominibus, tum laicis item.

2

Ne quisquam Sacerdos, clericusve cuiusvis  
ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis causa, sine litteris di-  
missorijs, ac testimonialibus Episcopi se committat, vt Canone veteri  
sancium est, tum præterea nec sine benedictione, quam Episcopus sa-  
cerdoti, clericove peregrinaturus, stans precibus, libro Sacerdotali, ri-  
tualive præscriptis impartiet.

3

Iis sanè litteris à Cancellario ascribantur hæc singula capita, sacer-  
doti, clericove peregrinanti, infra præscripta, quò accuratius ab eo il-  
la seruentur.

4

Peregrinationis comites, quos sibi adiunxerit, cum in viam se de-  
turus est, Episcopo, aut Vicario exponat: quorum comitum nomina à  
Cancellario litteris dimissorijs adscribantur.

5

Si quis item peregrinaturus, ecclesiam parochialem, aut capellam,  
aliudve cuiusvis nominis beneficium ecclesiasticum obtinet, cui mini-  
sterium aliquod debeat, is, vt Episcopus opus esse censuerit, sacerdo-  
tem, vel clericum, qui eidem Episcopo, Vicariove probatus sit, pro ra-  
tione ministerij ante substituatur, quàm iter suscipiat, ne ecclesia debito  
ministerio, cultuque careat, cuius rei, per se præstita, testimonium scri-  
ptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei verò, quem substituerit,  
aut alij, quem Episcopus maluerit, si aliquot dierum peregrinationem  
faciurus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemque eccle-  
siasticam suppellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim,  
ac

ac diligenter confecto, eo scilicet presente, cui hoc munus Episcopus dedit; ne ex eius absentia aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

6 Deinde is, uel Sacerdos, uel clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primò confessus, tum si sacerdos est, Missæ sacrificium, quod est, pro iter agentibus offerre: si clericus inferior, sacram. Eucharistiam sumere studeat.

7 In itinere, clericali habiui contractiori, ad Conciliorum præscriptum, omnis sacerdos, & clericus, dum in peregrinatione est, uti possit pileum autem induat, clericali ordini congruentem, & à laicali vestitu distinctum.

Tonsuram clericalem perpetuò habeat.

8 Ne itineris causa canonicas horarias diuini officij preces omittat, ac tum etiam stata de præcepto ecclesiæ ieiunia seruet, nisi cum legitime excusatus est.

9 Si Sacerdos est, ubi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet: uerò Dominicis & festis diebus id facere ne omittat. Singulis uerò diebus, siue Sacerdos, quando ipse non celebrat, siue clericus, Missæ sacrificio interesse studeat.

10 Mane singulis diebus, præter officium diuinum debitum, preces etiam illas piè recitare curet, quæ itinerarij nomine appellantur.

11 In omni denique itinere, quòd sanctæ peregrinationis causa suscipit, eum se vitæ moribus, omni que actione præstare studeat, ut piè, religioseque peregrinandi exemplum laicis præbeat, quorum si aliquem locum, & comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

12 Hebræis, & mulieribus comitem non se adiungat, neque eodem curru cum eisdem uehatur, neque item eodem nauigio, ut scandalum euitetur, si aliter sibi consulere poterit.

13 Neque ijs etiam se adiungat in uia, nisi necessitas coggerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, cytharis, alijsue musicis instrumentis utuntur.

Abstineat item ipse à profanis canticis, & colloquijs eiusd. m. generis, quorum usu, pietatis in peregrinatione suscepta studium refrigescit. Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum diuinarum meditationibus uacet: & spiritualibus item sermonibus, si comites habet, quibuscum loquatur, corporis, vel animi lassitudinem subleuet.

14 Ne mendicet, ostiatimve victum quaeritet, nisi ex uoto, uel alia causa, ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

15 Cùm ad aliquem locum uespèri perueniet, ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitiu diuertat, religiosè adeat, si potest, ubi simplex

plex



plex litanias, vel alias religiosas preces recitet.

16 Si apud religiosos homines, vel apud alios viros honestos discessari potest, ab hospitij publicis absteat.

17 Ad cauponas verò, si diuertere necesse habet, nec unà cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hospitio, aut alio omni loco, & tempore.

18 Antequam discumbat, mensę benedicat: tum pransus, aut cœnatus gratias agat: ceteraque obseruet, quæ de temperantia, frugalitate, & modestia clericali decretis prouincialibus præscripta, accuratè præstare debet.

19.20 Cum primùm ad peregrinationis locum peruenerit, confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & sacram communionem clericus sumere curet, totusq; peregrinationi susceptæ intentus, non rerum nouarũ curiositates, non loci antiquitates, non quicquam aliud, à peregrinandi proposito alienum, consecretur, sed religiosa animi præparatione ecclesias, sacrasq; reliquias, quas potissimũ deuotionis, uotive causæ uisitatum uenit, tum alias etiam sollicitè uisitet, qua uisitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, ut maximè potest.

21 Nec verò ubi sanctam peregrinationem absoluerit, alio longius uagetur.

22 A peregrinatione reuersus, Episcopum primo, aut Vicarium cum litteris dimissorijs, quas dedit, conueniat: sanctaq; suæ peregrinationis testimonium ab ordinario loci, aut saltem à præfecto Ecclesiæ asferat, ad quam peregrinationis causam iter suscepit, nisi litteris dimissorijs alius nominatim ab Episcopo exprimat, cuius allato scripto testatum facere debet.

23 Laici item, antequam peregrinationem suscipiant, suum quique parochum conueniant: à quo sanctè peregrinandi consilium capiant, & litteras habeant ab Episcopo canonicas, ut Canone expressum est, quarum etiam fide, testimonio uel eis liceat ubique, & cuius cõfessario, ab ordinario loci approbato, peccata confiteri.

24 Deinde benedictionem ab eodem parochio petant, qui superpelliceo, & stola induis, illis benè precetur, & benedicat, stans religionis precationibus, quæ ex ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

25 Peregrinationis verò iter suscipiant, ubi ritè confessi, sacram Eucharistiam religiosè sumpserint.

26 Peregrinando omnia fugiant, quæ deuotionis studium perturbant, aut impediunt, & illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere staturæ præcepto ecclesiæ ieiunia seruent, nisi cum legitime excusati sunt.

27 Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant: Dominicis verò & festis, ne vlllo modo desint, tum sacram communionem sumere curent.

28 Mane preces, quas Itinerarium vocant, piè recitare studeant, qui legere nouerint.

29 Eleemosynas, si per facultates possunt, largiantur.

Insistent pouissimum orationi: Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitatione, & rerum spiritualium meditationibus, & sermonibus lassitudinem subleuent.

30 In curru, nauigio, & hospitio, cum Hebræorum maximè, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione, affinitateve iunctas, aut etiam ex familia sua sancta peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coegerit. At sanè verò in hoc sancto piè peregrinationis proposito, ac studio, ad vsum reuocari cupimus, quod olim factum esse ex sacris literis, patrumque monumentis animaduertimus, ut scilicet, qui etiam eiusdem familiæ essent, cum templum, locaque sacra visitatum irent, viri à feminis iter separatim facerent.

31 Abstineant item à profanis canticis, colloquijs, cytharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeo ab eorum societate, qui in itinere ijs, alijsve eius generis actionibus, operam dant, quibus pietatis studiù in peregrinatione suscepta langueat.

32 Ne mendicatum eleemosynam queritent, nisi ex voto, vel necessitate, aliave causa Episcopi litteris, & testimonio probata.

33 Ad loca, vbi primùm vespere diuertunt, ecclesiam precandi causa prius adeant, quam in hospitium veniant, si temporis tarditas, aliudve non impederit.

34 Ad sacra loca, quæ religiosè visitaturi sunt, cum peruenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quam vt, aut Iubileum, indulgentiamve consequantur, aut vota sanctè persoluant, sacras reliquias, & sacra loca piè visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

35 Itaque primo confessi, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum religiosè Sanctorum stas ecclesias visitent; ita vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuuentur.

36 Reuersi à peregrinatione, primò parochum conueniant, à quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis Sanctis orationibus.

De Votis, & Consuetudinibus pijsve institutis.

S Y M M A R I U M.

- 1 Voto publico nuncupando Episcopus consulendus, & quando non.
  - 2 Eius nuncupandi formula, eiusdem Episcopi sententia concipienda.
  - 4 Ad illud nuncupandum vniuersitatis consensus accedat. Nuncupatio ad Altare maius Ecclesie maioris faciēda. 8. & ad offertoriū. 13.
  - 5 In eius nuncupatione hæ preparaciones, & ceremonie adhibenda, vbi autem adhiberi non possunt, illę præstandę cum primum licebit. 19.
  - 6 Primum adulti, confessi, communionem sumant.
  - 7 Pridie diei nuncupationis ipsius, sero campana pulsanda: quo populus sequenti die conueniat.
  - 9 Congregato populo, processio agenda.
  - 10 Ea peracta, Missa celebranda.
  - 11 Concioque in Missa habenda.
  - 12 Sacerdotum, & clericorum presentia.
  - 13 Missam celebrans, ad offertorium, voti formulam, per delectos ab vniuersitate pronunciarī mandat.
  - 14 Quod ab ipsis delectis, flexis genibus fiat.
  - 15 Communio ministranda.
  - 16 Voti nuncupati instrumentum quando ad Episcopum mittendum, & vbi asseruandum.
  - 17 Votum ipsum, causa, & conditiones tabella lapidea incidenda.
  - 18 Ea conspicuo Ecclesie loco ponenda.
  - 20 Vbi à ciuitate nuncupandum sit votum, ritus, ceremonieq; celebriores adhibenda.
- Veteri instituto, vsuque vel publico Ciuitatis voto, qui dies festi colendi, ab Episcopo intelligendum. De fest. dier. cultu. 25.
- Votis etiam, & pijs consuetudinibus conquirendis, eadem diligentia ab Episcopo præstanda. Ibid num. 26.
- Vigilię, & festi dies Sanctorum publico Ciuit. voto aut consuetudine colendi Synodo notandi, in Calendarium referendi, & publicandi. Ibid num. 29.
- Festorum dierum, & institutorum voti publici, aut consuetudinis ratione seruandorum monumenta, vbi asseruanda. Ibidem numero 27. & 30.

- I** quando ob calamitatem imminentem, aliaive causam, à populo, vel ab Vniuersitate, uel à uicinia parochiali uotum Deo fieri deliberandum est, ut de hoc genere toto quàm rectissimè statuatur, parochus & piscopus, ad quem præsertim in graui, quæ ad spirituales res pertineat, deliberatione, confugiendum patres consue-  
runt, etiam per litteras, ubi opus est, consulat: de cuius sententia formula uoti ritè concipiatur.
- 3 Si uerò aliquando temporis angustia non patitur, id quod in pestilentia euenire aliquando solet, ut ille consuli non possit, cum populo agat, ut uotum nuncupetur: at sanè, quæ speciatim ad illius rectè exequendi modum pertinere possunt, eæ rationes omnes in ipsa uoti nuncupatione, & piscopi sententiæ, iudicioque relinquuntur, quò sanctus, religiosusque uoti nuncupati ratio omnis ad executionis usum perducatur.
- 4 Caveat item parochus, rectorve Ecclesiæ, ut vniuersitatis consensu, atque omni alia opportuna, necessariâq; ratione uotum nuncupetur, ut firmum, ratumq; sit, ac proinde ab uniuersis, quorum interest, piè obseruetur, atque præstetur.
- 5 Quo præterea, & ardentiori pietatis studio ad illud nuncupandû, & uehementiori sollicitudine ad idem ritè exequendum populus incendantur, hoc præterea parochus curet, ut in uoti nuncupatione statuum præparationes, tum etiam cerimoniarum adhibeantur, omni externæ pietatis, sanctiq; cultus ratione, & significatione, in eum, qui sequitur modum.
- 6 Primò igitur, ut illius Vniuersitatis adulti omnes, quo die uotum fiet, antequam peccatorum confessione, sacram communionem sumant, curet idem parochus omni cohortatione.
- 7 Prædie etiam diei, quo uotum nuncupabitur, sub uesperum campanarum sono signum detur: quo populus excitatus, ad ecclesiam frequens conueniat, ubi postridie illud publicè, sanctèq; nuncupet.
- 8 Videat uero, ut in ecclesia parochiali, primariæ ad altare maius nuncupetur.
- 9 Vbi populus conuenierit, processio uoti causa de more agatur.
- 10 Missarum solennia, processione peracta, à parochio, rectore uè Ecclesiæ eo nomine celebrentur.
- 11 In qua Missæ celebratione de uoto concio habeatur, ac de eius causis, tum exponantur rationes, quibus sanctissimè deuincti, qui uouerint, uotum quàm diligentissimè præstare debent.
- 12 Huic actioni omnes parochialis uiciniæ, aut oppidi, lociue Sacerdotes,

cerdotes, & clerici intersint.

13 Parochus autem, aliusve Sacerdos, qui Missarum solennia eo nomine celebrat, cū n. Offertorij tempus est, ab ijs, qui Vniuersitatis nomine delecti erunt, voti formulam in conspectu Dei de scripto sibi ritè, distinctèque pronunciari mander.

14 Quod illi genibus flexis, supplices præsent.

15 Deinde, cū celebrans ipse corpus, & sanguine in Domini in Missa sumpserit; tum qui preparati accesserint, eisdem sacram communionem ministrabit.

16 Voti nuncupati instrumentum, Notarij manu confectum, auctoritateque munitum, ad Episcopum mentis saltem spacio afferatur, vt in Archiuio Episcopali asseruetur perpetuò. Cuius instrumenti etiam exemplum, eiusdem Notarij testificatione, fideq; roboratum, in Ecclesia illius populi, Vniuersitatisve, quæ vouit, vt diligentissimè potest, custodiatur ad perpetuitatem.

17.18 Vtque voti, cuius executio in perpetuum præstanda sit, monumentum in conspectu omnium extet, idem curet, in tabella lapidea votum, votiq; causam, & conditiones incidere, eandemq; loco Ecclesie conspicuo, atque illustri collocari, atque parieti agglutinari.

19 Vbi autem, cum votum nuncupatur, præscripta ratio, ac cetera, ob pestem, aliamve causam necessariam præstari non possunt, tunc omnino eas præstari curet parochus, ubi primum poterunt.

20 Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam riuus, cetera etiam que adhiberi Episcopus curet, si Ciuitatis ipsius populus uotum nuncupare deliberarit.

FINIS LIBRI PRIMI.



CON-